







2

L. IO. ZACHARIAE HILLIGERI  
PASTORIS ET SVPERINTEND  
SEIDENSIS  
INSTITVTIONES  
PNEVMATICAE  
ECLECTICAE

EX  
VETERVM ET RECENTIORVM  
SCRIPTORVM MONVMENTIS SV  
DIOSE CONQVISITAE

ET  
BREVIBVS THESISIBVS AC PERSPI  
CVIS ECTHESISIBVS INSTRVCTAE  
IN  
VSV M LECTIONVM ACADEMICARVM  
CVM GEMINO INDICE



WITTEBERGAE  
APVD GEORG. MARC. KNOCHIVM  
A . M D C C X X V I

+ 2010



IO. SACCHARIAE HILLIGERI

PASTORIS ET SUPERINTENDENTIS  
SELDENSIS

INSTITUTIONES  
SINEVMA TICAE  
ECCLESIAE

PETERI ET RECHTENDORF  
SCRIPTORUM MONASTII SIV  
DIEI CONVENTUS

REVIENSIS THESIS AC PARS  
CAUSAE THEOLOGICAE

IN  
THEOLOGICA ACADEMIA  
CVM CERTINO IUDICE



IN LIBRARIIS  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE



PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
BERNHARDO  
S.R.I. EQVITI ET NOBILI  
DOMINO  
DE ZECH



POTENTISSIMI PO  
LONIARVM REGIS AC PRIN  
CIPIS ELECTORIS SAXONIS  
CONSILIARIO INTIMO SVM  
MI CAPITVLI CIZENSIS DECANO  
ET ECCLESIAE CATHEDRALIS  
VVVRZENSIS VICE PRAEPOSITO  
GRAVISSIMO

RELIQVA

HEROI AC LITTERARVM PA  
TRONO INSIGNI  
DOMINO SVO GRATIOSO  
SACRVM



PERILLVSTRIS ATQ. EXCEL-  
LENTISSIME DOMINE,

*DO MINE GRATIOSE,*

**Q**uanquam meae erga  
TE, PERILLV-  
STRIS DOMINE, ob-

):( 3 fer-



seruantiae monumentum,  
praeterito iam anno, ligato  
sermone, demisse offerre  
ausus sum, debita tamen ac  
pia TVORVM in me me-  
ritorum, quae sunt maxima  
et plane singularia, me po-  
tissimum incitat memoria,  
ut hanc musarum mearum  
opellam PERILLVSTRI  
TVO NOMINI sacrare,  
nouumque meae erga TE  
pietatis argumentum statu-  
ere, non erubescam. Quem-  
admodum enim omnes ue-  
nerabundi certe mirantur  
generis TVI nobilitatem,  
ex-



excelsae dignitatis gradum,  
uirtutum splendorem, re-  
rum gestarum copiam et  
magnitudinem, atque incre-  
dibilem TVVM in Musas,  
harumque cultores, affe-  
ctum, ita uel maxime, quo-  
ties mihi aditus gratiose est  
concessus, toties excellen-  
tis gratiae in me TVAE,  
PERILLVSTRIS DO-  
MINE, signa deuote suspi-  
cere licuit, ut mihi sit caus-  
sa sperandi, TE, DOMINE  
PERILLVSTRIS, *Institu-  
tiones has Pneumaticas Ec-  
lecticas*, NOMINI TVO

);( 4 lon-



longe splendidissimo confi-  
dentius consecratas, inter-  
pretem animi mei obse-  
quentissimi, gratiofo esse ac-  
cepturum animo, T V O-  
que patrocínio easdem  
defensurum. Leue quidem  
est opusculum, quod auspi-  
cio PERILLVSTRIS NO-  
MINIS TVI emittitur, stu-  
dium tamen sapientiae cum,  
post ciuilem prudentiam,  
in qua prae ceteris emines,  
singulari TIBI sit oblecta-  
mento, id ipsum, quo ani-  
mum submissi erga TE cul-  
tus plenissimum significare  
uolui



uolui, TE, PERILLV-  
STRIS DOMINE, be-  
nigno collustratum ocu-  
lo, fortunaſque meas pro  
ea, qua polles, auctoritate  
ſumma, porro amplificatu-  
rum, totus confido. Deus  
TE, PERILLVSTRIS  
DOMINE, et uniuersam  
DOMVM TVAM flo-  
rentiſſimam, ulterius foue-  
at, tueatur ac protegat, ut  
ſub REGE AVGVSTIS-  
SIMO rebus adhuc diu  
gerendis feliciffime inter-  
ſis, et patriae, eruditis, bo-  
):( 5 no



no communi, mihi denique  
clementer prospicias.

PERILLVSTRIS AC EXCELL ENTISSIMI  
NOMINIS TVI


Scrib. Seidae Saxonum  
III. Calend. Octobris, A.  
R. S. cix io cc xxvi.

obseruantiffimus cultor,

L. IO. ZACH, HILLIGERVS  
Past. et Superint. Seidenfis.

Lectori





LECTORI BENEVOLO

S. P. D

AVCTOR

**D**Vobus ferme abhinc annis  
*Institutiones Logicae Ecclē-*  
*cticae* edendas curavi, quas  
prudentes rerum existi-  
mato-



matores non parum approbasse, atque praelectionibus Academicis dignas iudicasse, satis cognoui. Et quamuis, ut fieri solet, nonnulli sciolli quaedam pariter in illis meditationibus censoria lingua notarint, haec tamen studium partim sectarium, spiritum partim contradictorium, luculenter produnt, prout id ipsum, simul ac *Institutiones Logicae* recudendae erunt, exacte demonstrabitur. Nunc in lucem emittuntur *Institutiones Pneumaticae Eclecticae*, quas hinc fides publice data, hinc monitiones complures, summo cum studio urgent. Equidem ab hoc ipso proposito me uel maxime auocare poterat, quod, uix prouinciam publice docendi in Academia VVitte-

te-



tebergenſi Philologiam pariter ac  
Philoſophiam nactus, diuino nutu  
prorſus ſingulari, cui refragari no-  
lui, praeterito anno, muneri, quo  
nunc fungor, ſacro, praeter omnem  
opinionem praefectus, his, in *uſum*  
*lectionum Academicarum*, conſcriptis  
*Inſtitutionibus*, ipſemet Auditorum  
meorum rebus conſulere nequeam.  
Enim uero, cum non dubitem, ali-  
os quoque fore, qui, in iuuentutis  
Academicae commodum, hocce  
qualecunq; opusculum explanent,  
promiſſorum fidem praeftere uoluiſ-  
ſet, quanquam haud eo inficias, *Pneu-*  
*maticos* Scriptores non facile deſide-  
rari, pars tamen eorum uel leuiter  
ſaltem *Pneumaticae* doctrinam deli-  
bat, pars, hanc alieno loco tradit, et  
Meta-



Metaphysicae, uel Physicae, perpe-  
ram inserit, pars certe maxima ean-  
dem cum Theologia friuole con-  
fundit. Mediam seligens uiam, nec  
spissam, nec nimis concisam, sed ex  
solo naturae lumine suis limitibus  
circumscriptam, sisto *disciplinam Pneu-  
maticam*, in qua, quicquid ad corro-  
borandam Dei, Angelorum, et ani-  
mae nostrae existentiam pariter, at-  
que essentiam, neruose conquiri po-  
terat, sobrie, ut par est, excusfi. Re-  
pudiatis enim opinionibus praeiudicatis,  
nouis, periculosis, et ad  
Atheismum procliuibus, multo-  
rum Pseudo-Pneumaticorum, tam ex  
nostris, quam exteris, sanae rationis  
ductum caute et cogitate hic secu-  
tus, omni seposito partium studio,  
ueri-



ueritate fundatas proposui sententi-  
as. Ne uero solus mihi sapere uide-  
rer, studiose ueteres aequae, ac recen-  
tiores, Scriptores contuli, quorum  
hic citatos B. L. conspiciet et li-  
bros, et disputationes speciatim Aca-  
demicas, quae in aliquo esse pote-  
rant numero. Et quia breues the-  
ses cum additis ecthesibus multum  
faciunt ad perspicuitatem, hanc de-  
nuo proponendi methodum sum  
persecutus, Lectori humanissimo  
procul omni dubio gratam, atque  
*historiolam Pneumaticae*, adhuc desi-  
deratam, ipsi tractationi praemisi.  
Praeuideo quidem, hanc ipsam opel-  
lam a liuida Momi lingua non fore  
prorsus liberam, spe tamen simul  
confirmor, me iustos pariter, ac hu-  
manos



manos esse nacturum censores, qui  
mihi calcar addent, ut breui *Institu-*  
*tiones Metaphysicae* eadem forma  
conscriptae, diuulgentur. Vale B.  
L. meisque conatibus faue. Dab.

Seidae Saxonum, III. Calend.

Octobris, A. R. S.

M D C C X X V I



PN


NA  
T

P

sta,  
nem

quod





INSTITVTIONVM  
PNEVMATICARVM  
ECLECTICARVM  
PROOEMIVM

DE  
NATVRA ET CONSTITV-  
TIONE PNEVMATICAE.

Thesis I.

**P**NEVMATICA, ui uocis, est *scien-  
tia de spiritibus qua talibus,*  
ex lumine naturae solo hau-  
sta, in nostri intellectus perfectio-  
nem.

*Ἐνθεσίς.*

§. I.

Ipsa uox *Pneumaticae* ostendit facile,  
quod sit origine Graeca, ἀπὸ τῶν πνευματικῶν,  
A sive



siue a *spiritibus*, dicta, usu uero Latina ciuitate donata, adeoque ab obiecto, uti Physica a *Φυσικῆ*, nominis habeat rationem.

§. II.

Aliis dicitur *Pneumatologia*, pariter ab obiecto, prout *Physica* uocatur *Φυσιολογία*: a nobilitate sua *diuina Philosophia*, quia circa Deum et ea uersatur, quae proxime ad Deum accedunt; item ab obiecto perfectionis, quod est Deus, *Theologia naturalis*, nimis tamen stricte, aliis aliter.

§. III.

Hic sumitur uox *Pneumaticae* non in sensu *Theologico*, sed *Philosophico*, partim *habitu*, prout est in animo, et *scientificum* innuit habitum, partim *systematicae*, prout est in libro, in quo eius traduntur praecepta.

Thesis II.

**G**enus *Pneumaticae* proximum est *scientificae*.

Ἐνθεσις.

§. I.

Vt ut, cum Peripatetico · Scholasticis, de genere *Pneumaticae* non prolixae sint formatae controuersiae, notari tamen meretur, quod ob subiectum *scientificum*, et finem *speculatiuum*, solide generis loco a plurimis

SCHARF



DE NATVRA ET CONSTITVT. PNEVMATICAE 3  
SCHARFFIO, KLOZIO, DONATI, ceteris,  
ponatur *scientia*.

§. II.

CLERICVS quidem definit Pneumaticam per *doctrinam*, a fine docentis, sed non satis adaequate.

Thesis III.

**O**bjectum Pneumaticae formale est *Spiritus qua talis*, quo ipso haec est distincta disciplina a reliquis Philosophiae partibus.

ΕΝΔΕΞΙΣ.

§. I.

Vtut Theologia, Metaphysica et Physica, agant de *Spiritibus*, modus tamen hosce considerandi uel maxime est distinctus, quippe *Theologia* Spiritum considerat in certis qualitatibus internis, siue spiritualibus, habito respectu ad praxin: *Metaphysica* de Spiritu agit, quatenus est substantia et ens: *Physica*, quatenus spiritus animales sunt pars corporis, aut quatenus Spiritus notat uentum, uel aliud corpus subtile: *Medicina* de spiritibus, ex herbis, plantis, et aliis corporibus, extractis: nulla uero agit de *Spiritu qua tali*, hoc est, eius existentia, proprietatibus et uariis operationibus.



## §. II.

Abfit igitur, ut hanc disciplinam, quae dicitur *Pneumatica*, cum *Metaphysica* peruerse confundamus, quod olim omnes ferme Scholastici Doctores, et cum his MICHAEL WATSONIVS, in *unione sapientiae*, P. III. *Synops. Phil. contempl. Met.* c. 6. p. 586. EBELIVS, in *Colleg. Metaph.* SCHEIBLERVS, *Metaph.* L. I. c. I. KILIAN. RVDRAFFIVS, in *Theol. natur.* Disp. I. §. 4. alique fecerunt, notante GEORG. MEIERO, in *Pneumat.* p. 26. quos diuersitas obiecti, principiorum et abstractionis utriusque, satis refellit. Abfit etiam, ut cum GOCCLENO, CASMANNO, BVDDEO, et reliquis, *Pneumaticam Physicae* inferamus, multo minus cum *Theologia*, more GVIL. AMESII, iisdem ex causis eam permiscemus, ut potius hanc *distinctam*, ex obiecti formalis distincti praesentia, et doctrinae methodicae requisito, solide proponamus.

## Thesis IV.

**P**incipium cognoscendi PNEUMATICAЕ est *sana ratio*, sibi relicta, ex qua, quicquid de *spiritibus* tradi potest, unice colligere hic licet.

ΕΝΔΕΞΙΣ.

## §. I.

Non quidem negatur, ex lumine scripturae



rae sacrae multis numeris absolutiorem possedi *Pneumaticae* doctrinam: sed, ne fiat distinctae notitiae commixtio, hic meditationibus, ex sana ratione tantum petitis, inhaeremus.

§. II.

Minime tamen, more BALTHASARIS BEKKERI, CHRISTIANI THOMASII, CHRIST. WOLFFII, reliquorum, libertati in philosophando, in hoc scientiae genere, plus dabitur, ac sobria concedit ratio, quae, absque laesione sacrarum litterarum, hic maximopere consultitur.

Thesis V.

**F**inis PNEVMATICAE est uel *ultimus*, gloria Dei, uel *intermedius*, perfectio intellectus.

Enthetis.

§. I.

Sicut ubiuis collustratio gloriae diuinae in primis est ponderanda: ita non minus in hac Philosophiae parte, ubi Dei existentia cum essentia ex attributis studiose probatur, et contra Atheos ac Naturalistas defenditur, illius simul gloria haud parum digne amplificatur.

§. II.

Nostra uero cognitio, hac ipsa mediante disciplina, non minus perficitur, in cognitione



tione *Dei* naturali, in notitia de *Angelis*, horumque operationibus, de *anima* nostra, huiusque existentia, essentia et facultatibus, ac id genus aliis, *Pneumaticam* illustrantibus materiis, quae nobilitate, iucunditate et utilitate, se commendant, nec ubiuis occurrunt.

## Thesis VI.

Optime dispescitur PNEVMATICA in duas partes, quarum una est *generalis*, siue communis, altera *specialis*, siue propria.

## ΕΠΙΣΤΗΜΗ.

## §. I.

*Generalis* agit de *Spiritibus in communi*, horumque naturam et proprietates in genere euoluit, quo, de *Spiritibus* in particulari, eo solidior in subsequens institui possit tractatio.

## §. II.

*Specialis* in tres rursus abit sectiones, quarum una de *Spiritu* perfectissimo, *Deo*, agit, et absoluit *Theologiam naturalem*, quae a nonnullis recentiorum ut peculiaris consideratur disciplina; altera agit de *Spiritibus puris*, siue completis, hoc est *Angelis*, quam nominant *ἁγγελολογίαν*; tertia de *Spiritibus in-*  
com



completis, siue *anima et mente humana*, agit,  
et dicitur *ψυχολογία*.

Thesis VII.

*Pneumatica* diuersa agnoscit fata,  
quae ex *Historia Philosophica* bre-  
uiter iuuabit exposuisse.

Ἐκθεσις.

§. I.

Generatim notandum est, quod nulla  
ferme pars Philosophiae fuerit magis confuse  
tradita, quam ipsa *Pneumatica*, siue doctrina  
de *Spiritibus*. Quidam enim Philosophi, duo  
statuentes *principia rerum*, alterum bonum, al-  
terum malum, finxerunt sibi *Pneumaticam*, de  
Dei et Spirituum essentia, ineptam. Alii ex *Chri-  
stianis Philosophis*, lumen naturae cum lumine  
Scripturae confundentes, confusam quoque de  
*Spiritibus* sistunt cognitionem, praesertim  
*Scholastici*. Alii, cum BALTH. BEKKERO ef-  
fectus a *Spiritibus* uarios in corpora negantes,  
ipso *Spiritus*, praeter animam hominis, ne-  
gasse uidentur. Alii cum ARISTOTELE, et  
BENED. SPINOZA, Deum et mundum ef-  
se unum, nempe expansum, sibi fingunt a-  
theistice et confuse. Alii, huic sententiae ob-  
uiam euntes, nimis uirium tribuunt *Spiritibus*  
ex superstitione, cum *Paracelsistis* et *Magicis*.

A 4

Medi-



Medium autem sobrii Philosophi tenent, nihil de *Spiritibus* tradentes, nisi quod euidenter, aut saltem probabiliter, ex ratione, et cum ratione, possit doceri, reliquum, quod est supra rationem, Scripturae sacrae relinquentes.

§. II.

Speciatim *Hebraei*, antiquissimis licet temporibus magis certa de Deo, eiusque ministris et Angelis, fuerint edocti, successu tamen temporis figmentis gentilium Philosophorum usi, pluribus certe fabulis doctrinam de *Spiritibus* auxerunt, docente ipsorum *Cabbalistica* Philosophia sublimiori, ubi diuinis nominibus, in decem *Sephiroth* diuisis, miram uim tribuunt, *Spiritibus* corpora uindicant, Angelorum decem ordines statuunt, et ab his Magicos effectus sibi pollicentur, animarum ante corpora ortum, harum reuolutionem et transmigrationem fingunt, et quae sunt alia, de quibus uidere licet *Pneumaticam Cabbalisticam* R. ABRAHAM COHEN IRIRA, Diss. II. cap. VI. iuxta BVDDEI *Introd. ad Histor. Philos. Ebraeorum*, p. 416. seqq.

§. III.

Veteres autem *Chaldaei*, *Pythagoraei* et *Platonici*, praeter Deum Deorum, ut ipsi loquuntur, dari adhuc *Spiritus*, non negarunt, quibus corpus tribuerunt subtilissimum, tanquam uehiculum, cum ipsi nulla gaudeant materia.



DE NATURA ET CONSTIT. PNEVMATICAE. 9

materia. Oracula ZOROASTRIS ostendunt clarissime, quod *Chaldaei* omnes naturas diuiserint in tres classes, *aeternas, aeuernas et temporarias*. In prima classe comprehenderunt summum Numen, quod *Pater* dicitur, a quo *mens* et *anima* sunt generata, adeoque *Triada* in diuinitate, ex raptu forte Ebraeorum, statuunt: V. EVSEBIUS, in *Praepar. Euangel.* L. 9. c. 10. In altera classe producunt *aeuernas* naturas, nempe intelligibiles et intellectuales, *Azonios, Zonaeos Deos, Angelos, Daemones, animos*. V. PLETHO, in *Comment.* ad *Oracula Zoroastris*.

§. IV.

*Persae*, et inter illos *Magi* praesertim, ueteres orientales populos in doctrina de *Spiritibus* sunt secuti, nisi quod duos ueluti Deos, alterum boni, alterum mali principium, statuerint, quorum illud uocarunt *Horomazen*, hoc *Arimanium*. V. AELIANI Var. Hist. L. II. c. 17. Hos excipiunt *Phoenices, Aegyptii et Sinenses*, qui, sicut sapientiam in primis excoluerunt, ita studium *Pneumaticae* non plane neglexerunt, inter illos *Sacerdotes*, ex his *Gymnosophistae*, qui Trinitatis in diuinitate habuisse notitiam dicuntur. V. HVETII *De instr.* Euangel. p. 167. Ad *Phoenices* quae ortum refertur PYTHAGORAS, qui a *monade*, hoc est, Deo, omnes res reliquas, numeris analogas, deriuat, et animarum transmigrationem



tionem cum *Aegyptiis* defendit. V. LAERTIVS, in  
*uit. Philos. Lib. 8. S. 4. et 5.*

## §. V.

Plus tamen operae in doctrina de *Spiri-  
 tibus* locarunt *Graeci*, et ex his post *THALE-  
 TEM Milesium* *PLATO*, qui de Deo praecla-  
 re sensit, eumque a materia solide distinxit,  
 et λόγῳ ac *Spiritum mundi* statuit, unde mul-  
 ti *Trinitatem* colligunt *Platonicam*, quam par-  
 tim obscure, partim fabulose et fecte *PLATO* af-  
 feruit, atque uel ex conuersatione cum Iudaeis,  
 uel ex lectione S. Scripturae ipsum dogma  
 deriuauit. V. *TREVNERI* *Diff. de Theolo-  
 gia Platonis*, et *D. IANI* *Diff. de Trinitate  
 Platonismi uere et falso suspecta*. Contra mi-  
 nus recte mentem credidit esse particulam  
 essentiae diuinae, et duabus hominis partibus  
*tertiam*, scilicet *Spiritum*, adiunxit. *ARISTO-  
 TELES* postea, eiusque affectae, parum, aut ni-  
 hil, in doctrina de *Spiritibus* sunt meditati,  
 nisi quod mundum cum Deo confundant,  
 atque illum aequae dicant aeternum. V. *VA-  
 LERIANI MAGNI* de *Atheismo Aristotelis*,  
 et *TREVNERI* *Dissert. de Theologia Aristote-  
 lis*. *Stoici* porro non cautius de Deo cogita-  
 runt, quem faciunt materialem ex igne pu-  
 rissimo, et fato obnoxium, hominisque ani-  
 mam falso dicunt diuinae essentiae particulam.  
 V. *IAC. THOMASIVS*, de *exustione mundi  
 Stoica*. *Epicurei* pariter mundum ex fortui-



DE NATURA ET CONSTIT. PNEUMATICAE. II

to atomorum concursu, Deo pessime remoto, construunt, aut, si Dei sint, hos uitam agere quietam in intermundiis, nec cura rerum mundanarum tangi, afferunt.

§. VI.

Ex Christianis autem et Scholasticis Philosophis, illi antiquo, hi medio p. C. N. aeuo, de *mentibus*, siue *Spiritibus* puris, horumque operationibus admirandis, multa quidem in spississimis uoluminibus proposuerunt, confuse tamen, nec absque erroribus. Multi enim priorum, qui *Patrum* nomine fuete ueniunt, PLATONIS in *Spirituum* doctrina adhaerent placitis, nec pauci posteriorum ARISTOTELIS, ne multa de ipsorum figmentis et turbamentis in *Pneumaticis* afferamus. V. TRIBBECHOVII Tract. de *Doctoribus Scholasticis*.

§. VII.

Repurgata in sacris doctrina, cultior quoque *Pneumaticae* extitit facies, hac tamen adhuc confusione, ut eandem Metaphysicae inferrent, atque multa ex lumine Scripturae S. interspergerent, usque dum Io. SCHARFFIUS, ABRAH. CALOVIUS, GEORG. MEIERUS, SAM. SCHELGWIGIUS, et alii, eandem in peculiari disciplina, licet cum collatione sacri codicis, distinctius, ratione singularis obiecti habita, proponerent.

§. VIII.



## §. VIII.

Elapso uero seculo inprimis RENATVS  
 CARTESIVS nouam quasi excogitauit doctrinam de *Spiritibus*, tradens, essentiam *Spiritus* consistere in cogitatione, qualem *Spiritum* esse solam hominis mentem, alios *Spiritus* esse nullibi, unde *Spiritum* non posse agere in corpora, aut alios *Spiritus*, nec inter Deum et animam humanam esse *Spiritus* quosdam *medios*. V. ANTON. LE GRAND, in *Institut. Philos.* p. 173. Cuius postea uestigia secutus est BALTHASAR BEKKERVS, *S. S. Theol. D. et Ecclesiastes Amstelodamensis*, qui, in edito tractatu, *Die Bezauberte Welt, oder eine Untersuchung des Aberglaubens/ betreffend die Art und das Vermögen / Gewalt und Würckung des Satans und der bösen Geister über den Menschen / primum Belgice Leouard. A. 1691. et Amstelodami, mox Latine et Germanice, duce S. Scriptura, concessit Angelorum bonorum et malorum existentiam, essentiam uero horum cum ex schola Cartesiana in sola cogitatione posuerit, ens tantum cogitans in corpore posse agere, nullo admisit modo, quin potius operationes Angelorum bonorum et malorum, quae uulgo passim recensentur, ex Gentilismo et Papatu ortas, pro puris figmentis et suauibus somniis, aut fraudibus hominum sagaciorum, reputauerit, adeo, ut nec spectra, nec obsessionem corporalem, nec pacta cum Diabolo, concesserit, prout uidere est*

in



in HEINRICH LVDOLPH BENTHEMS Kirch-  
und Schulen-Staat / in D. KETTNERI *Diss.*  
*de Bekkero*, et Cl. BVDEI *Philos. Theor. Part.*  
*VI. cap. 2. de Bekkerianismo reiecto.*

## §. IX.

In crasiores uero errores, his ipsis Car-  
tesianis principiis nixus, prolapsus est BENE-  
D. SPINOZA, qui, unam tantum esse substantiam,  
nec dari substantiam, quae potuerit effi-  
cere aut creare aliam, nullumque adeo dari  
Deum ac Spiritus, sed mundum nihil aliud  
esse, quam Deum expansum, blasphemae et  
atheistice docuit, in *libertate philosophandi*, et  
in *Tr. de natura et conceptu Dei*. V. REIM-  
MANNI *Histor. Atheorum*, et BVDEI *Philos.*  
*Theor. P. VI. c. 5. de Spinozismo profligato.*

## §. X.

Hodie uero CHRISTIAN. THOMASIVS,  
obuiam ire CARTESIO conatus, essentiam  
*Spiritus* in uirtute ac potentia actrice posuit,  
et cum BEKKERO, pacta cum Diabolo fieri pos-  
se, negauit, in *Diss. de crimine Magiae*, et  
in *Lehr-Sätzen von dem Laster der Zauberey*,  
item in *cautelis circa praecognita Iuris*, cap. XII.  
atque in *Versuch vom Wesen des Geistes*.  
Tandem CHRISTIAN. WOLFFIUS, olim  
*Halenfis*, nunc *Marpurg. Philos. et Mathem.*  
*Professor*, CARTESII quoque meditationi-  
bus, ratione essentiae *Spiritus*, insistens, cum  
celeb.



celeb. LEIBNITIO, in *Theodicea*, propter harmoniam praestabilitam, Deum a creaturis tantum gradu perfectionis distinguere, unionem animae et corporis mutuam, animae libertatem, et prouidentiam Dei in res creatas uel maxime tollere uideretur, in vernünftigen Gedanken von Gott, der Welt/ und Seele des Menschen/ quod proinde scriptum sub censuram dignam uocare tentarunt DANIEL STRAEHLERVS, in der Prüfung der vernünftigen Gedanken des Herrn Hoff-Rath Wolffs von Gott, der Welt und der Seele des Menschen/ Jen. 1723. IOACH. LANGIVS, in Anmerkungen über Herrn Wolffens Metaphysicam, von denen darinnen befindlichen der natürlichen und geoffenbahrten Religion und Moralität entgegen stehenden Lehren: Idem, in der bescheidenen und ausführlichen Entdeckung der falschen und schädlichen Philosophie in dem Wolffianischen *Systemate Metaphysico*, Cl. BVDDERVS, im Bedencken über die Wolffianische Philosophie, IOH. GOTTF. WALTHERVS, in eröffneten Eleatischen Gräbern/ Magdeburg 1724. IOH. FRID. WUCHERER, in *Diff. de harmonia mentis et corporis humani praestabilita, stabilimento orbata*, Jen. 1724. RYARDVS ANDALA, in *disp. de unione mentis et corporis physica, neutiquam metaphysica*, Franequ. 1724. CHRISTOPHORVS LANGHANSSEN, de *necessitate omnium, quae existunt, absoluta*, in *Theodicea G. G. Leibnitii, cui* Wolffia-



*Wolffianum Metaphysicae systema Superstru-  
 cum est, asserta, Regiom. 1724. POLYCAR-  
 PVS LEYSERVS, in Examine Philosophiae  
 Wolffianae Philosophico, Helmst. 1724. Anonymus  
 von der Unmöglichkeit der Harmoniae praesta-  
 bilitae, Id. in curieuses und gründlichen rai-  
 sonnemens über die Harmoniam praestabili-  
 tam einiger neuen Philosophen, Lips. 4. Id.  
 in der mit ihr selbst streitenden Harmonia der neu-  
 en Weltweisen / quibus tamen partim ipse  
 cum emollitione suarum hypothesium respon-  
 dit, praesertim D. LANGIO, in Commentatio-  
 ne luculenta de differentia nexus rerum sapi-  
 entis et fatalis necessitatis, Hal. 1724. item in  
 monito ad commentationem luculentam de dif-  
 ferentia etc. ib. D. BUDDĒO, in Anmerckun-  
 gen über sein Bedencken, Francof. 1724. 8. und  
 in der nöthigen Zugabe zu denen Anmerckungen  
 in klaren Beweis / daß Herr D. Buddeus die  
 ihm gemachten Borwürffe einräumen, und ge-  
 stehen muß, er habe aus Uebersehung der unge-  
 gründeten Auflagen der Häufigen Widersacher  
 recht gesprochen. ib. partim L. V. D. PHIL. THÜM-  
 MINGIVS, Prof. Philos. ord. Marp. in Institu-  
 tionibus Philos. Wolffianae, 1725. BÜLFFIN-  
 GERVS, in Dilucidationibus Philosophicis de Deo,  
 anima humana, mundo et generalibus rerum  
 affectionibus, Tubing. 1725. M. IAC. FRID.  
 MÜLLERVS, in 2. deutschen Schrifften contra  
 D. Weismannum, Waliberum, Wuchererum,  
 Langbansen, Leyserum, D. Langium, D. Bud-  
 deum,*



deum, GEORG HENR. RIEBOW in der weitern Erläuterung der vernünftigen Gedancken Herrn Hoff-Rath Wolffs von Gott, der Welt und der Seele des Menschen / worinnen er Herrn D. Langen bescheidenlich antwortet / und Herrn Wolffs Philosophie der Religion und der Gottseeligkeit beförderlich, den Frey-Geistern aber gänglich zuwieder nennet, Brem. 1726. SAMVEL CHRIST. HOLLMANNVS, in Diss. I. et II. de harmonia inter animam et corpus praestabilita, et in obseruationibus elenticis in controversia Wolffiana, ac complures alii.

## s. XI.

Magis sobrie in *Pneumaticis* uersantur, hoc et elapso seculo, noster DONATI, IO. CLERICVS, FRANCISCVS WOCKENIVS, FRID. GENZKENIVS, Cl. ÆPINVS, et Cl. BVDDDEVS, nisi quod ille in Theologia naturali, hic in Physica, hanc Philosophiae partem minus adaequate absoluat. Id hic dabitur operae, ut ex ueteribus et recentioribus *Pneumaticis* scriptoribus, habita *Eclectici* philosophandi studii ratione, breuis et rotunda exponatur *Pneumatica*.

INSTI-



INSTITVTIONVM

PNEVMATICARVM ECLE-  
CTICARVM

PARS GENERALIS

DE SPIRITV IN THESI

CAP. I.

DE SPIRITVS NATVRA IN GENERE

Thesis I.

**S**PIRITVS non sunt *entia rationis*,  
sed, vi oppositi corporis, re vera  
existunt.

En. Deo sic.

§. I.

Sicut enim *materia datur extensa*, quae habet magnitudinem, crassitiem, longitudinem, latitudinem et profunditatem, atque proinde est visibilis, tangibilis, divisibilis, localis, ut ultra spatium suum circumscriptivum se non extendat: Ita ex natura oppositorum facile colligitur, a posteriori, dari aliud, quod non sit materia, cujus nomen dicitur fuisse SPIRITVS.

§. II.

Naturae igitur oppositorum propriae Spi-  
ritu-



*ritualium* actionum, quae sunt intelligere, velle, etc. et testimoniis gentilium Philosophorum clarissimis, obloquuntur haeretici, inter Iudaeos *Sadducaei*, (de quibus videantur ex instituto DRUSIUS et Cl. TENZELIUS,) *Athei* et *Naturalistae*, praesertim THOMAS HOBBS, in *Leviathan*, c. 34. SPINOZA, *epist.* 55. et 58. quando libere sentiunt, non dari *Spiritus*. V. D. NATHANAEL FALCKII *Daemonol.* Diff. 3. A sobriis certe Philosophis *Spirium*, ex lumine naturae, vi operationum spiritualium, cognoscibilem, nunquam fuit in dubium vocata *existentia*, licet haec ex lumine S. Scripturae clarior, cum demonstratione nobilior, reddi possit.

## §. III.

Ipsa vero vox *Spiritus*, quod dicatur a spirando, uti *πνεῦμα ἀπὸ τῆ πνεῖν*, inter omnes constat. Notari tamen meretur, quod eadem vox h. l. non sumatur *Theologicae*, ubi in varios rapitur significatus, ut nolet 1) *personaliter* Spiritum S. 2) *essentialiter* ipsum Deum 3) *effective* virtutem Dei, dona *Spiritus* S. etc. 4) *creaturas*, angelos, animam hominis, halitum animalis, ventum, etc. Nec sumitur hic vox in *Physico sensu*, ubi designat halitum, ventum, corpus tenuissimum, purificatum operatione chymiae, inflationes membrorum in rugitum ventris, atque sic porro: sed in *sensu transcendentali*, hocque non *Platonico*, sive abusive, pro natura intermedia inter corpus et animam



animam, sese habente ut utriusque vinculum, verum pro substantia incorporea, quae aliis dicitur *mens, intelligentia, animus, forma, actus purus, etc.*

Thefis. II.

**S**PIRITUS natura non consistit in cogitatione, nec in virtute ac potentia actrice, nec in luce ac aethere, sed in *substantia immateriali.*

EXPOSITIO.

§. I.

Primus omnium essentiam *Spiritus* posuit in *cogitatione* CARTESIUS, cum affectis, ANTONIO LE GRAND, CLAUBERGIO, DE LA FORGE et aliis, falsissime, quippe *cogitatio*, sive intelligatur actualis, sive potentialis, bene notante DONATI, c. l. p. 14. praesupponit *substantiam* quandam *cogitantem*, cujus hic inquiretur essentia, indeque aperce confundit *operationem Spiritus*, sive mentis, cum ejus *essentia*, quae sunt distinctissima.

§. II.

Pariter commiscet Illustris THOMASIVS, in *causis circa praecognita juris*, et in Versuch vom Wesen des Geistes, cum IOH. REGGIO modum



modum operandi *Spiritus* cum ipsa ejus essentia, quando hanc in potentia unice locat active. Licet enim corporis detur quaedam facultas passiva, et vi oppositorum *Spiritus* activa, minime tamen tota ejus essentia ea absolvetur, sed tantum inde clarius cognoscitur.

## §. III.

Nec licet naturam *Spiritus* ponere in luce quippe quae, quam subtilissima etiam sit, corporis tamen induit naturam. Interim ob illius subtilitatem et facilem penetrationem haud perperam *Spiritus* equiparari possunt luci, prout ejusmodi comparatio saepius, in sacro codice, et profanis pariter scriptoribus, reperitur, quae minime infert veram *Spiritus* essentiam.

## §. IV.

Rectius statuitur, quod SPIRITUS sit *substantia immaterialis, corpori contradistincta*, quae *descriptio* revera est positiva, quod notatur contra DANIELEM VOETIUM, in sua *Pneumatica*, cum in illa simplicitas *Spiritus* virtualiter affectatur, negetur vicissim materialitas in esse et operari, quo adeo *Spiritus* hic consideretur *abstractus* a materia secundum essentiam. Tantum autem abest, ut cum *scottis*, IO. ZEISOLDO, IAC. MARTINI, IO. SCHARFFIO, et omnibus ferme Ienensibus, *Spiritus* strictam posse dari definitionem, affirmetur, ut potius ex defectu differentiae specificae, et natura conceptus analogici, illa nonnisi in sensu,



su latiori admittatur, et cautius dicatur *descriptio*, in qua conceptus latior est *substantia*, quia *Spiritus* est ens per se subsistens, sive *Spiritus increatus*, h. e. Deus, sive *creati*, Angeli et anima humana, intelligantur, quippe et posteriores per se certo respectu existunt, non per modum accidentis, sed formae substantialis. Conceptus vero proprius est *immaterialitas*, quae licet vi significationis negationem importare videatur, cui non datur locus in differentia constituenda, revera tamen ac fundamentaliter in illa latet principium simplicitatis, quae *Spiritum* liberat ab omnibus partibus essentialibus ac integrantibus, et illi nobiliorem vindicat naturam, quam corpori, cuius modum specificum non licet beneficio luminis naturae indagare.

## §. V.

Cl. WOLFFIUS equidem, in vernünftigen Gedanken von Gott, der Welt, und Seele des Menschen, hanc *Spiritus* descriptionem iudicat inadaequatam, cum eadem etiam de monadibus, LEIBNITIO attestante, pariter, ac de animabus brutorum, dici possit. Sed sicut de neutro, in sensu strictiori, praedicari potest immaterialitas: ita minime approbatur eius descriptio *Spiritus*, quam cum IOH. CLERICO, BUDDEO, FRAN. VVOKENIO, c. l. habet communem, et in ea *SPIRITUM substantiam intellectu et voluntate praeditam* mavult appellatam, quippe perspicue facultates *Spiri-*



*tus* cum conceptu ejus proprio confunduntur, qui tamen ab illis caute est distinguendus.

## §. VI.

An vero *Spiritus ut sic* dentur principia, subtilius a MEIERO, c.l. disquiritur. Per se liquet, *principia cognoscendi* admittere *Spiritum*, quippe illa non tam in objecto cognito, quam in subjecto cognoscente reperiuntur. Minime autem hic datur *principium essendi et fiendi*, partim ob universalitatem *Spiritus*, quae etiam includit Deum, tanquam principium sine principio, partim ob formalem ejusmodi principii rationem, quae infert prioritatem et dependentiam.

## CAP. II.

DE PROPRIETATIBUS SPIRITUS, NATURAM EIUS CONSEQUENTIBUS.

## Thesis. I.

**P**ROPRIETATES *Spiritus* sunt attributa, quae extraessentialiter *Spiritui* omni, soli et semper conveniunt.

EX. 1616.

## §. I.

Licet lubenter concedatur, quod, ob *Spiritus*



us simplicitatem, minime cum *Scotistis* in illum realis cadat compositio, *proprietates* tamen in illo concipiuntur distinctae, ratione ratiocinata, ut natura ejus a nostro intellectu facilius concipi possit. Ratione enim sui, et *materialiter*, proprietates in *Spiritu* non differunt, bene tamen *formaliter*.

§. II.

Atque rectius hic adhibetur vox *Proprietatis*, quam attributum, quia hoc est latius, ac genus illius constituit, remoto omnis accidentis, quod sub illa lateat, conceptu, quippe hoc non valet de *Spiritu* in communi, sed tantum creato et finito. Hic vero loci *absolute Spiritus* considerantur affectiones propriae, corpori contradistinctae.

Thesis. II.

**D**ividuntur *Proprietates Spiritus* in *immediatas* et *mediatas*, et utraeque rursus in *affirmativas* et *negativas*.

ΕΝΔΕΙΞΙΣ.

§. I.

*Immediatae* dicuntur *proprietates*, quae ex conceptu *Spiritus* proprio, nempe *immaterialitate*, proxime fluunt: *mediatae* vero, quae



ex attributo *Spiritus* immediato demum fluit.

## §. II.

Qua modum verbis illas exprimendi, dicuntur aliae *affirmativae*, quae et formaliter, et fundamentaliter, aliquid de *Spiritu* ponunt: vicissim aliae sunt *negativae*, quae formaliter aliquid de Spiritu negant, fundamentaliter ponunt.

## Thesis. III.

**R**Eferuntur ad *immediatas Spiritus proprietates* simplicitas, uniformitas, indivisibilitas, insensibilitas, compatibilitas, et vita.

ENDESTIC.

## §. I.

*Simplicitas* est, qua *Spiritus* concipitur ex pers compositionis, ut nec habeat partes essentiales, nec integrantes. Et licet ZEISOLDUS, *Pnevm. P. Gen. p. 242.* pro formali ratione *Spiritus* habeat *simplicitatem*, rectius tamen haec ex conceptu magis primo, *immaterialitate*, fluit.

## §. II.

*Uniformitas* est, qua nihil diverfi in se continet, sed habet essentiam indistinctam, et realem unitatem, quamvis haec ex intellectus natura



fri imbecillitate, ratione ratiocinata, in diversos conceptus trahi possit.

§. III.

*Indivisibilitas*, qua *Spiritus* repugnat divisio in partes quantitativas, quae sunt affectiones corporis, ut adeo SCHOTTUS, *Phys. cur. L. I. c. 7.* perperam certam dimensionem angelis assignet. Admittitur quidem divisio *logica* et *metaphysica*, minime vero *physica*.

§. IV.

*Insensibilitas*, qua *Spiritus* repugnat, fieri objectum sensibile per se, et intuitu suae naturae, non aequè per accidens, et intuitu corporis assumti.

§. V.

*Compatibilitas* qua *Spiritus* intra aliam substantiam esse potest, in eodem ubi, sive loco, vè immaterialitatis, quae excludit  $\pi$  circumscriptivum.

§. VI.

*Vitalitas*, qua *Spiritus* per actus immanentes, sine organis, et interventu spirituum animalium, est actuosus, secundum intellectionem et volitionem.

Thesis. IV.

**A**D *mediatas Spiritus proprietates* referuntur totalitas, immutabilitas, perennitas, illocalitas, immobilitas, penetrabilitas, subtilitas intellectus, voluntas, libertas, et immortalitas.

Ex. 9.



## ΕΝΔΕΞΙΣ

## §. I.

*Totalitas*, qua *Spiritus* totus est in suo ubi, et totus in qualibet parte sui ubi, quod urget ejus uniformitas. Unde falluntur *Cartesiani*, quando dicunt, *Spiritus* esse nullibi.

## §. II.

*Immutabilitas*, qua *Spiritui* in se repugnat mutatio, ob principium suum naturale, corruptione adeo, alteratione, augmentatione, et annihilatione exclusis.

## §. III.

*Perennitas*, qua *Spiritus* concipitur, per sui naturam, in perpetua duratione, absque commensuratione temporis, cui licet inexistat, tamen in tempore non existit.

## §. IV.

*Illocalitas*, qua *Spiritui* in se repugnat locus, aut spatium determinatum, cui inclusus sit, sed ubicunque est, ibi citra spatii occupationem adest, ob compatibilitatem.

## §. V.

*Immobilitas* est, qua *Spiritui* repugnat motus, ut de spatio in spatium, per sui naturam, progrediatur. Ad motum enim requiruntur movens, mobile, terminus a quo, terminus ad quem, successio, sive tempus, quibus omnibus destituitur *Spiritus*.

## §. VI.

*Penetrabilitas* est, qua *Spiritus* a substantia qua-



quacunq̄ue, etiam corporea, solide penetrari potest, quo minus impediatur, alia simul in eodem esse spatio.

§. VII.

*Subtilitas* est, qua *Spiritus* substantiam quamcunq̄ue, etiam corpoream, penetrare potest.

§. VIII.

*Intellectualitas* est actus vite spiritualis, quo *Spiritus* intelligibile, quatenus verum est, simpliciter cognoscit, sine sensuum ministerio, quo utuntur in cognoscendo homines. Et quidem ad objectum intellectus *Spiritus* materiale refertur intelligibile, siue sit universale, siue singulare, siue ens rationis, siue reale.

§. IX.

*Voluntas* est actus vite spiritualis, quo *Spiritus* cognitum, quatenus bonum est, appetit, quatenus malum, averfatur.

§. X.

*Libertas* est, qua *Spiritus* in agendo indifferenter se habet, circa objecta ab intellectu praeognita, ut. positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, et non agere, agere hoc, et aliud, agere hoc, vel alio modo, uno verbo, gaudeat *Spiritus* libertate contradictionis et contrarietatis, quae maxime differt a *spontaneitate*.

§. XI.

*Immortalitas* est, qua *Spiritus* repugnat cessationi vite, siue deficientia ab actu vitali, cuius fun-



fundamentum est actualitas et immutabilitas. Indequè hic valet *immortalitas* non ordinata, nec gratiosa, sed absoluta.

## §. XII.

Ex quibus proprietatibus, conjunctim sumtis, judico, evidentior apparebit *Spiritus* ut sic, sive in communi, natura, de qua conferantur Disputationes AEGID. STRAUCHII et M. BOCCII, Wittebergae habitae.

## Thesis. V.

*Spiritus in hypotbesi* est vel *independens*, vel *dependens*, hicque aut *completus*, aut *incompletus*.

## ΕΠΙΣΤΗ.

## §. I.

Ordo doctrinae jubet, ut, natura *Spirituum* in genere considerata, *Spiritus* divisio inquiratur, vi cuius ille est vel *independens*, qui est solus Deus, de quo in Parte Speciali, Sect. I. vel *dependens*, atque hic vel *completus*, cuius naturam induunt Angeli, sive intelligentiae, de quo Sect. II. vel *incompletus*, cuius generis est *anima*, de quo Sect. III.

INSTIT.



INSTITVTIONVM  
PNEVMATICARVM ECLE-  
CTICARVM

PARS SPECIALIS

DE SPIRITIBUS IN HYPOTHESI  
SECTIO I.

DE SPIRITU INDEPENDENTE  
SIVE  
THEOLOGIA NATURALI  
CAP. I.

DE SPIRITUS INDEPENDENTIS  
SIVE DEI  
EXISTENTIA

Thesis. I.

**D**Ari *Spiritum independentem*, a  
quo omne, quod est, dependet,  
ac movetur, quive appellatur fuede  
DEUS, *notitia naturalis, insita et acqui-*  
*sita*, convincunt.

Ex. 98-



## Εὐθεός.

## §. I.

Omnino in hac *Parte Speciali* primum statim obtinet locum *Spiritus independens*, ob sui excellentiam, quo rite considerato, de dependentibus *Spiritibus* commodior erit dicendi locus.

## §. II.

Dicitur hic *Spiritus independens* communi nomine DEUS, a θεός, timor, quia timendus est, sumta hic voce non *abusive*, pro diis gentilium, ubi Deus dicitur, qui non est Deus, nec *metaphorice*, aut pro quocunque superiori, aut pro magistratu Politico, aut pro homine. singulari virtute praedito, sed *proprie* et *essentialiter*, pro Numine summo et optimo, quod *Hebraeis* alias dicitur יהוה *Graecis* θεός, nobis *Germanis* Gott / a Gut et Güte / atque *Philosophis* ens entium, causa prima et universalis, itemque primus motor.

## §. III.

Hujus *Spiritus independens* notitia, licet omnium evidentissima ex lumine Scripturae S. hauriri possit, datur tamen satis evidens ex lumine quoque naturae, quae est vel *insita*, vel *acquisita*.

## §. IV.

Notitia Dei *naturalis insita*, sive *subjectiva*, omnibus hominibus est aequalis, qua intelligitur perfectio illa *habitualis*, vi cuius statim homi-



homines, simul ac de Dei existentia ac cultu quaedam audiunt, non possunt non illis assensum praebere suum, unde aliis eadem dicitur *naturale mentis humanae dictamen, internum conscientiae testimonium, vox naturae.*

## §. V

Equidem hanc notitiam negare sunt auctores praeter ARISTOTELEM, L. 3. c. 4. *de anima*, SCALIGER, *Exercit.* 307. THOMAS HOBBS, in *Element. Philos. de cive cap.* 14. et in *Leviathan, cap.* 15. PETRUS CHAUVIN, in *Tr. de Relig. nat.* P. 1. c. 4. LAMBERTUS VELTHUSIUS, *Tr. de incestu*, p. 179. IO. LOCKIUS, in *Tr. de intell. hum. cap.* 4. §. 7. *Sqq.* PETRUS BAYLE, *Tom. II. Respons.* p. 372. et complures. Sed absouam hanc negandam rationem solide ostenderunt COOVIUS, in *Hobbes. anatom.* BÜCHERUS, in *Disp. de regno Dei per naturam*, Cel. LOESCHERUS, in *init. Academ.* CHRIST. DONATI, in *Diff. num. Deum esse, per se sit notum*, IO. IAC. FERBERUS, in *Diff. de Deo ex lumine naturae*, HEBENSTREIT, in *Diff. de existentia Dei.*

## §. VI.

Confirmant autem *notitiam* illam Dei *naturalem insitam*, docente DONATI in *Pnevm.* p. 48. sensus illius internus, serio ad se paullum advertendo, legis divinae penes omnes gentes observatio, quae non foret, nisi esset Deus, naturalis item omnium ad religionem instinctus, spontanea conscientiae sceleratorum expavescentia, et unanimis omnium gentium de *divi.*



divino numine consensus, qui vero haud daretur, nisi esset haec *notitia insita*, prout ex TOB. PFANNERI *System. Theol. Gentil. pur. cap. II. p. m. 33. sqq.* pluribus videre licet.

## §. VII.

Nec operose hic disputabitur, an haec *notitia Dei insita* insit *per modum actus*, et iudicii formalis, quo facienda et vitanda cognoscuntur, quod olim defenderunt *Thomistae*: aut, num eadem insit *per modum doctrinae*: an vero per modum *speciei impressae*, uti statuerunt SCALIGERUS, de *subtil. exerc.* 307. et ALSTEDIUS passim. V. DONATI, c. I. p. 53. *sqq.* Inest omnino haec *notitia*, ut §. IV. iam observavimus, *per modum habitus connati*, vi cuius homines sunt prони atque prompti ad assentiendum statim, *dari Deum*, simul ac hanc propositionem audiverint, ut assensus difficulter cohiberi possit. Fundamento igitur suo caret *idea Dei innata*, quam fingit CARTESIUS in *medit. de prima Philos. medit.* 3. et in *resp. ad Obj. III.* p. 102. cum suis asseclis, VELTHUSIO de *init. princ. Philos.* p. 298. HEEREBORD, in *Meletem. Philos. in Pnev. L. II. c. I.* ANTON-LE GRAND, in *Institut. Philos. P. II. c. 2.* ION-DE BRUIN, de *cogn. Dei natur. Disp. 1. Intellectus* quidem nobiscum nascitur, minime vero *idea*, quam demum ille efficit, nec statim ab *idea entis perfectissimi* colligere licet, hanc esse *innatam*, qua concessa, omnis pariter caderet *institutio*. Unde illam ex *instituto* re-

felle



fellerunt PETR. DAN. HUETIUS, in *Cens. Philos. Cartes.* c. 17. GERARD de VRIES, in *Exercit. ration. Exerc. 2.* VAL. ALBERTI, in *Disp. inaug. de Cartesianismo*, et D. ANDR. KUNADUS, in *Diff. de idea Dei innata.*

## §. VIII.

Notatur potius, quod, praeter notitiam Dei naturalem insitam, detur *acquisita*, sive *objectiva*, qua Dei existentia ex contemplatione rerum creaturarum, harum origine et conservatione, ex motu earum, ordine et harmonia suavi, omnium gentium consensu, et id genus aliis, per discursum mentis, indies colligitur et amplificatur. V. DONATI *Diff. de Deo naturaliter cognoscibili.*

## Thesis. II.

**A**D *acquisitam* Dei notitiam pertinent *diversae methodi demonstrandi Dei existentiam*, non unius plane valoris, quarum alia est *communior*, aliae sunt magis *propriae*.

## ΕΝΔΕΞΙΣ.

## §. I.

Quamvis *existentiae Dei demonstratio* non tantum attingat per argumenta *Philosophica demonstrationis apicem*, quo omnino gaudent  
C Theo-



*Theologica*, ex lumine S. Scripturae petita, non omni tamen illa destituitur usu ac fructu, ad convincendos Atheos.

## §. II.

*Communior* demonstrandi *Dei existentiam* ratio derivari solet a *mundi* hujus origine atque productione, qui sicut non est infinitus, uti olim STRATO LAMPACENUS, LEUCIPPUS, DEMOCRITUS, SPINOZA et alii sunt fabulati: ita sui prodit causam primam, quae non est alia, nisi Deus, summus hujus mundi opifex, ad evitandum progressum in infinitum, et destruendum circulum, vel etiam coalitionem rerum creatarum ex atomis, casu factam. Hoc igitur necessario dato, Deum esse hujus mundi et omnium in illo rerum autorem primum, talpa esset coecior, qui non Dei existentiam porro videret clarissime ex hujus *mundi* admiranda *structura*, et stupendo omnium in eodem rerum *ordine* ac nexu, unde ejusdem bonitatis, sapientiae, potentiae, mirifice indies colliguntur testimonia. Ne multa dicamus de *quotidiana* hujus universi luculenta *conservatione*, argumento existentiae divinae pervulgato, quam nec *Archaeus*, vel spiritus mundi architectonicus, nec *Mechanismus*, quem multi recentiorum urgent, vel ullo modo tollunt, quin potius posterior eam magis confirmat, cum leges illius motus non a seipso esse queant, sed primum habeant motorem. Nec a vulgari abiectione demonstrandi *Dei existentiam* ratione omnia

um  
non  
que  
LIN  
NAT  
LOE  
DEO

P  
ptae  
funt  
Scho

1.

2.

3.

Q  
passi  
mon  
sanif  
hujus  
pe c  
finitu  
quo f  
theist

um



um populorum inter se dissitorum consensus, non fictus, non extortus, sed liber, et plenus, quem frivole PETRUS BAYLE et HIER. GUNDLINGIUS rejiciunt, meliora docentibus Cl. DONATI, in *Diss. de existentia Dei*, Magnif. D. LOESCHERO, in *Praenotionibus Theol. D. BUDDEO*, in libr. de *Atheismo et superstitione*.

## §. III.

Propriae et quibusdam Philosophis receptae demonstrandi Dei existentiam *methodi* sunt variae, inter quas refertur *triplex* illa *Scholasticorum via* cognoscendi Deum:

1. *via negationis*, quando remouentur omnes creaturarum imperfectiones, et cognoscitur Deus ceu ens perfectissimum.
2. *via eminentiae*, quando perfectiones creaturarum in perfectissimo ente considerantur eminenter.
3. *via causalitatis*, quando ex effectu colligimus Deum, tanquam causam universalissimam, et omnium primam.

Quam quidem demonstrandi rationem passim CHR. THOMASIVS et CHR. WOLFFIVS, monente BUDDEO, im Bedencken über die Wolfenbütsche Philosophie, explodunt, sed gratis, cum hujus viae firma dentur duo Principia, nempe quod in causis non detur progressus in infinitum, et quicquid est, ab alio sit, praeter id, a quo sunt omnia. V. SAM. BIERMANNI *Impiet. Atheist.* p. 145.



## §. IV.

Multis ex recentioribus placet Deum demonstrare ex *corporis humani structura* pereleganti, quae per Anatomem quo magis consideretur, eo vividiores testes comparent existentiae divinae, ejusdemque potentiae et sapientiae. V. BENTLEII *Stultitia Atheismi* p. 107. sqq. Speciatim ex *oculi* mira compositione Deum demonstrare feliciter tentavit I. CHR. STURMIUS, ex *inspectione cordis investigati* Cl. HAMBERGERUS, ex *aure* I. A. SCHMIDIUS, ex *manu* Cl. DONATI, ex aliis corporis partibus alii, praefertim *Medici*.

## §. V.

Pariter ex *anima*, ejusque egregiis facultatibus, ac seorsim ex *affectibus* hominum Numen demonstrari posse sapientissimum, et rerum humanarum providum, Cl. BUDDEUS et nuper AUG. GOD. KRÖMAIERUS probarunt.

## §. VI.

Ex aliis porro rebus creatis, utpote *voce animalium* ANDR. MURRAY, ex *vento* ANT. LE GRAND, ex *pluvia* GERH. MEIERUS, ex *cursu astrorum velocissimo* WOCKENIUS, c. l. p. 20. ex *avium volatu* BUDDEUS, c. l. p. 363, ex *araneorum telis* IO. FRID. MAIERUS, ex *diversitate florum*, uno verbo, ex omnibus ferme corporibus, etiam minutissimis, *Dei existentiam* demonstrare haud pauci sunt annisi.

§. VII.



## §. VII.

WOLFFIUS autem passim, praesertim in *Anmerkungen über das Bedencken* p. 6. sqq. una cum Cl. THÜMMIGIO, et BÜLFFINGERO, ex eo quod *contingentia sint in universo*, hoc colligit inde necessarium ens, per quod contingentia in esse suo actuali et operari determinentur, quam ipse methodum demonstrandi *Dei existentiam* dicit prae reliquis firmam, et Atheos convincentem.

## §. VIII.

Plures a Cl. WOCKENIO c. l. adducuntur divinae existentiae demonstrationes, partim ad forum Theologicum spectantes, partim prioribus et jam nominatis respondentes, praesertim nostrae communiore.

## Thesis III.

**H**anc igitur *Dei existentiam* absone negant *Athei, directi* aequae, ac *indirecti*, eandemque in dubium perperam vocant *Cartesiani*.

Εἰς Θεοῦ.

## §. I.

Per se liquet, hic non esse sermonem de

C 3

Atheis



*Atheis practicis*, quorum improba vita Dei existentiam tollere videtur, nec de *speculativis perpetuis*, qui per omne vitae tempus, ex serâ mente, constanter et cum interna animi convictione, Deum negasse feruntur, quales nec dari actu, nec etiam ordinarie dari posse, ex notitiâ Dei omnibus omnino hominibus insitâe existentia, et inseparabilitate principiorum nobiscum natorum, conscientiae stimulis et id genus aliis, recte cum Cl. DONATI, c. l. p. 63. et in *Dissert. pecul. de existentia Athei*, negatur, Sed Athei hic intelliguntur *speculativi temporarii* hinc actu tales et *expliciti*, sive *directi* qui ex solo peruerso conatu, et infelici famae studio malitiose, contra internum conscientiae testimonium, Deum sunt inficiati, quos frivole negat dari THOM. BROWN in *Religione Medici*, P. I. S. 19. hinc *potentiales* et *indirecti*, qui dogmata defenderunt, maxime proclivia ad Atheismum. V. Cl. LOESCHERI *Praenotion. Theol.* p. 18. *sqq.* Ad prioris generis classem referri solent, non ex invidia, aut solis affectibus pravis, prout GOD. ARNOLDUS, *Haeresol.* P. II. *Lib.* 17. c. 16. sentit, sed ex veritate rei, ex *Iudaeis* R. MOSES *ben Maimon*, R. LEVI *ben Gerschom*, R. SCHEMUEL *Sirsa*, aliique, quos vide in Cl. REIMMANNI *Hist. Atheismi*, p. 47. *sqq.* ex *Aegyptiis* Rex *Supbi*, Abrahamo coevalus, et *Pharao*, V. REIMMANNUS, c. l. p. 53. ex *Indis* *Xekia*, sive *Foë*, V. Id. p. 90. ex *Graecis* *Protagoras*, de quo LACTANTIUS, de *Ira Dei* c. 10. PRO-



PRODICIUS *Ceus*, de quo CICERO, *L. I. de Offic.*  
 c. 32. EMPEDOCLES, de quo THEOPHILVS L. 3. ad  
*Autolycum*, THEODORUS, de quo *Läertius* L. 2.  
 n. 86. BION et EVHEMERUS, de quibus idem, c.  
 l. n. 52. ZENO *Stoicus*, de quo *Augustinus*, L. 3.  
 contra *Academicos*, ARISTO CHIUS, de quo  
*Läertius*, L. 7. n. 161. LEUCIPPUS, de quo *Cle-*  
*mens Alexandrinus*, L. I. *Strom.* DIAGORAS, de  
 quo *Cicero*, L. 3. *de Natura Deorum*, c. 37. LU-  
 CIANUS, de quo *Suidas*, Tom. 2. Opp. DIONYSI-  
 SIUS *Tyrannus*, de quo *Valerius Maximus*, L. I.  
 c. 1. ex *Romanis* SELIUS, de quo *Martialis*. L.  
 4. *Epigr.* 21. PETROVIUS ARBITER, de quo *Sam.*  
*Parkerus*, de Deo, *Disput.* 2. C. PLINIUS SE-  
 CUNDUS, de quo *Klozius*, in *Theol. Natur.* disp.  
 3. p. 75. C. CALIGULA, de quo *Seneca*, L. I. de  
*Ira*, c. ult. ex *Christianis*, nomine non retali-  
 bus, EVNOMIUS, de quo *Socrates*, L. IV. *Hist. Ecc.*  
 c. 7. *Aurelianenses* nonnulli, de quibus *Her-*  
*mannus Rysvick*, de quo *Calvoerius*, in *Fissuris*  
*Sionis*, L. XV. c. 2. IUL. CAES. VANINUS, de quo  
*Abrah. Heidanus*, de *Origine erroris*, L. 4. c. 6.  
 CASMUS RUGGERIUS, de quo IO. LAETUS, in *Com-*  
*pend. Hist. univers.* c. 31. Sect. 2. IORDANUS  
 BRUNUS, de quo *I. Hem. Urysius*, in *Exerc. de*  
*Zoroastre*, §. I. EGOISTAE GALLI, de quibus  
 WOLFFIUS, in *cogit. rat. de Deo*, c. l. §. 2. CASI-  
 MIRUS LYSZINSCKIUS, de quo I. F. REINHARDUS,  
 in *Theatro prudentiae*, p. 202. ANTONIUS COL-  
 LINUS, MATTHIAS KNUZEN, de quo IO. MUSAEUS,  
 inpec. scripto, et innumeri plures, quos jam



prolixius collegerunt GEBH. THEOD. MEI-  
RUS, in *Historia Atheismi* I. CHR. WOLFFIUS, in  
Diss. de *Atheismi vulgo suspectis*, IENCK. THO-  
MASIUS, in *Historia Atheismi*, et REIMMANNUS c. l.

## §. II.

In quorum *caussas*, cur Deum negarint, non  
licet hic prolixè inquirere, quae indubie sunt  
delictio cognitionis naturalis de Deo, negle-  
ctus cultus Deo debiti, naturalismus et me-  
chanismus, nimia philosophandi libertas, libera  
vivendi ratio, nimis diuturna de existentia  
Dei dubitatio, et plures, quae ex instituto ob-  
servantur a TOB. WAGNERO, in *Atheismo* spec-  
ulativo, SPIZELIO, in *Scrutinio Atheismi*,  
IOH. MÜLLERO, in *Atheismo devicto*, ANTON-  
REISERO, de *ortu et progressu Atheismi*, RICH.  
BENTLEIO, in *stultitia et irrationabilitate Athe-  
ismi*, GISE VOERIO, de *Atheismo*, TOB. LOT-  
TERO, de *caussis Atheismi*, IO. PHIL. TREUNERO,  
de *Theologia Athei*, IO. IAC. SYRPIO, de *origine  
Atheismi*, IO. FR. BUDDEO, in *Thef. de Athe-  
ismo*, WEISSENBORNIO, in *De lineat. Atheismi* et  
a compluribus aliis.

## §. III.

Ad posterioris generis classem referuntur  
illi, qui per bonam demum consequentiam  
*Atheismi* sunt suspecti redditi ob periculosis-  
simas hypotheses, quarum ope vel maxime  
laeditur Dei existentia. Illis *Atheis* igitur *in-  
directis* omnium primo loco annumerantur,  
qui



qui Deum et naturam rerum inter se commi-  
 fcent, et pro uno eodemque habent, ex quibus  
 eminent STRATO LAMPSACENUS, V. Cicero, L. I.  
 de *Nat. Deorum*, SENECA, *Lib. 4. de Benef. cap. 7.*  
*Lib. 2. Quaest. Nat. cap. 45.* ARISTOTELES,  
 BEN. SPINOZA, in *Epistolis*, p. 449. et in *Ethica*,  
 p. 19. sq. V. BUDDI Diff. de *Spinozismo ante*  
*Spinozam*, et IOH. STALKOPFII, de *Spinozismo*  
*post Spinozam*, DAVID DINANTIUS, etc. Qui porro  
 providentiam Dei sustulerunt, utpote EPICU-  
 RUS, de quo Cicero, L. I. de *Nat. Deor.* LUCRE-  
 TIUS, TIBULLUS, PROPERTIUS, PETRUS POMPO-  
 NATIUS, CAR. BLOUNT, in *oraculis rationis*, IO.  
 WESTRENE, ANDR. CAESALPINUS, et alii: Pariter  
 qui, religionem dari naturalem, aut ad cul-  
 tum Deo debitum hominem trahi, negant, ut *Baro*  
*Gallus HONTANA*, in *dialogis cum America-*  
*no*, POMPONATIUS, L. de *Incantatione*, HOBBE-  
 SIUS in *elem. de cive*, P. BAEIUS, et THOMA-  
 SIUS, passim: Plures opiniones, ad Athei-  
 smum proclives, ut taceam, de quibus alibi fu-  
 isus.

## §. IV.

Hoc tamen observatione est dignum, ne  
 tam praecipitanti fervore nomen *Athei* erudi-  
 to viro, a veritatis forte tramite aberranti, sta-  
 tim injungatur, ut potius singulari hic opus  
 sit cautione, ne cui dolenda fiat injuria. Un-  
 de non est mirum, multos in eo saepius labo-  
 rasse, ut viros cordatos ab *Atheismi* crimine libe-



liberarent, quos Cl. REIMMANNIUS studiose collegit. in *Historia universali Atheismi*, et *Atheorum falso suspectorum*, ubi *Moses, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Euripides, Aeschylus, Thales, Anaximander, Anaxagoras, Pythagoras, Socrates, Plato, Aristippus, Stilpo, Polybius, Cicero, Bernhardus Ochinus, Angelus Politianus, Hermolaus Barbarus, Petrus Bombus, Marcellus Palingenius, Caesar Cremoninus, Thomas Campanella, Guil. Postellus, Io. Bodinus, Joseph. Scaliger, Stephan. Doletus, Jac. Gaffarellus, Renatus Cartesius, Malebranchius, Rich. Simonius, Antonius Goveanus, Io. Caramuel a Lobkowiz, Io. Lockius, Samuel Clarck, Iustus Lipsius, Ianus Gruterus, Conr. Vorstius, Steph. curcellaeus, Hugo Grotius, Isaac Vossius, Io. Huss, Erasmus Roterodamus, Casp. Scioppius, Dan. Sennertus, Io. Sperlingius, Sam. Puffendorffius, et innumeri, ex Atheorum classe merito locantur.*

## §. V.

Sicut autem perverfae mentis est, negare summum Numen: ita nec licet illud in dubium vocare. Utut de aliis, non adeo evidentibus, rebus, sub primo intuitu, cum temperamento dubitari possit, quippe dubitatio Scepticorum, sive Pyrrhonorum, perpetua nullum apud sapientes meretur locum: frivole tamen *existentia Dei*, ex lumine quoque naturae adeo clara, in dubium vocatur, atque pressa sen-



fenfim via ad *Atheismum* sternitur. Obstant enim notitia Dei naturalis insita, et quotidiana ob oculos versantia de existentia Dei testimonia. Unde *CARTESIUS* cum suis sociis summopere peccat, quando Deum ejusque existentiam referre conatur ad ea, quae in dubium revocari possunt, ille *medit. de prima Philos. medit. 1. in princip. philos. Part. 1. §. 7.* et in *epist. part. 2. p. 10.* hi, *ANTON. LE GRAND*, de *la FORGE*, et alii passim. V. *ZACH. GRAPH Theol. contr. P. I. Qu. 2. p. 7.*

## CAP. II.

DE SPIRITUS INDEPENDENTIS  
SIVE DEI  
ESSENTIA

## Thesis I.

**I**nspicere et penetrare velle ipsam *Dei essentiam*, a finito intellectu est maxime remotum, vi cujus qualiscunque tantum de eo dari potest definitio, sive potius descriptio, quod sit *Spiritus independens*.

## Ene 901q.

## §. I.

Prolixe satis excussa quaestione, *an sit Deus*,  
nunc



nunc perquiritur altera, *quid sit Deus*, ubi facile conceditur, hanc nostrae rationi non esse adeo evidentem, ac quidem prior. In *defectu* tamen peccant, qui cum PETAVIO, ne quidem descriptionem de Deo, nec ullum ejus conceptum, dari posse, cum HOBBSIO, de *cive*, cap. III. et XI. et BODINO, de *abditis rerum arcanis*, Lib. VI. fingunt. Quamvis merito concedatur, *definitionem* de Deo stricte sic dictam *Logicam*, nullo posse modo admitti, prout olim B. BALTH. MEISNERUS, in *Philos. Sobr. P. I. p. 1154. sqq.* SCHARFFIUS, in *Pneumat. Lib. 2. cap. 2. p. 62.* CARLOVIUS, alique Wittebergenses. id ipsum contra Ienenses nonnullos (V. CAR. ANDR. REDELI Diff. de *indefinibiliitate Dei*.) egregie defenderunt, quia proprie in Deum non cadit genus Logicum, quod de pluribus specie diversis praedicatur, nec differentia specifica, ob Dei eminentiam: competit tamen illi *qualiscunque descriptio*, sive definitio late sic dicta, quia de Deo dari possunt partes bonae descriptionis, quae sunt conceptus communis, sive latior, atque proprius, sive angustior, utur non directe positivus, sed negativus.

## §. II.

Positivis quidem terminis Cl. WOLFFIUS, in *Metaph. §. 1067. et 1069.* nec non in *rat. praelect. cap. 3. §. 20.* definire mavult Deum per *substantiam omnia universa possibilis simul distincte sibi representantem*: sed quam obscura haec



haec sit definitio, contra leges bonae definitionis, qua conceptum plurium univerforum, et quam suspecta in argumento providentiae divinae, non est, quod prolixè hic excutiam, cum jam animadversiones in illam legi possint in STRAEHLERI, WALTHERI, LANGII, BUDDI, aliorumque scriptis Elencticis. Vulgaris, et usu recepta definitio optime *Deum* ab aliis entibus creatis distinguit, quando dicitur *Spiritus independens*, rotundius, ac veteres, si *Deum* definiverunt per *essentiam spiritualem infinitam*. V. M. STOLZII Diss. de *accurata definitione entis incomprehensibilis*.

## Thesis II.

**C**onceptus de Deo *latior* recte dicitur esse SPIRITUS.

E<sup>n</sup> D<sup>e</sup>U<sup>i</sup>g.

§. I,

Veterum Philosophorum haud pauci *conceptum* illum de Deo *latiorem* exprimunt aut per ens, aut per essentiam, aut per substantiam, sed nimis generaliter: magis adaequate ponitur loco illius *Spiritus*, non in sensu *Physico*, quo materiale quid complectitur, uti sumitur ab HOBBSIO, pro corpore subtili fluido, et invisibili, in *Leviathan*, cap. 34. et in *append. c. 1.*

BEN.



BEN. SPINOZA, in *Ethica, part. 1. Prop. 15. et part. 2. defm. 1.* BAELIO, *respons. Tom. 4. et* CHR. ST. THOMASIO, in *tentamine de natura Spiritus*, p. 63. et 72. ex hypothefi *Cartefianorum*, qui proinde Deum propriis spiritum vocare nolunt, sed in sensu *Metaphysico* et *Pneumatico*, de quo *parte gener.* preste dictum est, ut nihil materialitatis subintelligatur, sed *facultates* Deo *spirituales*, quas aliis spiritibus completis et incompletis concessit, in gradu eminentissimo tribuantur, utpote *intellectus*, inque hoc omniscientia et omnisapientia, atque *voluntas*, inque hac sanctitas et iustitia, et praeterea *affectiones spirituales*  $\kappa\alpha\tau\ \epsilon\ \xi\omicron\chi\omicron\nu$ , simplicitas, invisibilitas, immutabilitas, et quae sunt plures, de quibus cap. III. V. NATH. FALCKII *Diff. de spiritualitate Dei* contra *Hobbef. Witt.* 1690. et GABR. GRODDECKII *Diff. de eadem materia*, Ged, 1708.

## §. II.

Abfit igitur, ut cum veteribus nonnullis *Rabbinis, Manichaeis, Muhammedanis, HOBESIO, aliisque Pseudo-Pneumaticis*, Deo *corporea* tribuatur substantia, quam subtilis etiam illis fit, ut potius ad vindicandam ejus perfectionem eadem plene ab eo removeatur, et ob simplicitatem Dei *spiritualis* tantum asseratur. Equidem ex nostri intellectus imbecillitate Deum saepius sub forma humana concipimus, quam pictores nobis ita repraesentant,  
imo



imo ipse Deus, in sacro codice, membra corporis humani, utpote os, aures, oculos, brachia, manus, pedes etc. pariterque animae humanae passiones sibi tribuit: sed quod hae locutiones ἀνθρώπου παθῶς efferantur, et Θεοπαθῶς sint intelligendae, ex instituto Theologi monent. Proprie autem, et in sua natura, non potest non Deo corpus denegari. V. Cl. DONATI Diss. de forma Dei, et FR. ULR. RIES Diss. de Deo Spiritu ἀσωμάτω, Marp. 1724.

## Thesis III.

Conceptus de Deo angustior, et magis proprius, est independentia.

Ἐξθεσις.

§. I.

Communiter Scholastici loco conceptus proprii Deum definiunt, quod sit *ens vivens*, sed minus adaequate, quia vita fluit ex actualitate Dei, conceptus autem proprius ex nullo alio fluere debet. PLATO, et multi ex Patribus, imprimis CHRISTOPH. GILLIUS, *Lusitanus Iesuita*, L. 2. *Comment. de Deo, Tract. I. c. 13.* pro conceptu proprio substituunt *ens simpliciter*, sed nimis laxe. SCHEIBLERUS porro, PAUL. VOETIUS, in *Theol. natur.* SCHLEVOGTUS, SCHARFFIUS, et alii ex nostratibus, *infinitatem* vulgo pro conceptu primo habent, minus accurate, cum infini-



infinitas adhuc possit probari ex independentia.

## §. II.

*Conceptus* igitur Deo *proprius*, cum Cl. DONATI, c. l. p. 133. et recentioribus, recte statuitur esse *independentia*, vi cuius concipitur esse a se, non *positive*, quasi Deus sit tui ipsius causa, quod *Cartesiani* volunt, sed *negative*, quod non sit ab alio, quo ipso distincte a creaturis discernitur, et fundamentum conceptuum Dei secundorum, inde fluentium, ponitur solidum. Equidem terminus *independentiae* magis explicare videtur, quid Deus non sit, quam, quid sit, revera tamen in illo latet virtualis positio, nempe *aseitas*.

## §. III.

Hac interim definitione non exhauritur Dei natura ac essentia, quam nemo hominum tanget, quippe est incomprehensibilis: illa tantum qualiscunque Dei cognitio apprehenditur, quae amplificatur per attributa Dei varia de quibus sequ. cap. agetur. Nec est, quod CARTESIUS, in *princip part. 1. n. 54.* cum SPINOZA, in *Ethica, part. 2. prop. 1.* clarius ponere velit essentiam Dei in *cogitatione*, vi suae hypotheseos, cum haec sit actio intellectus, hic vero pertineat ad conceptus Dei secundos, non primum,

CAP.



## CAP. III.

DE ATTRIBVTIS SPIRITVS INDEPEN-  
DENTIS,  
SIVE DEI

## Thesis I.

*Attributa* Dei sunt conceptus de Deo secundi, quae de eo praedicantur *proprie*, et a divina essentia non differunt ratione ratiocinante, nec secundum rei naturam, sed *ratione ratiocinata*.

## EX DEOIS.

## §. I.

Cum antecedenti capite demonstratum sit, conceptum de Deo primum esse *independentiam*, ex eo fluentes nunc sunt derivandi, dicti *secundi*, quod in primo fundamentaliter latent, non per modum accidentium, ut olim CONR. VORSTIVS, CRELLIVS, aliique *Photiniani* falso statuerunt, sed per modum affectionum, Deo competentium, et radicaliter cum essentia convenientium, nobis non cogitantibus, qui vulgo appellantur *attributa*.

D

§. II.



## §. II.

Atque haec praedicantur de Deo non *improprie*, prout cum BEN. SPINOZA, Ep. 50. fingit CHR. THOMASIVS, in *dissert. ad Poirer. libr. de erud. hypoth. 17.* et in *confessione doctrinae suae, thes. 52.* quasi aequivoce, et per modum similitudinis, attributa de Deo valerent omnia, sed *proprie*, ut realiter Deo tribuant aliquam perfectionem, removeant imperfectionem, ac, quae simul de homine dicuntur, competant Deo primario et eminenter, homini secundario, adeoque *analogice*.

## §. III.

Minime tamen *attributa divina* differunt ab essentia divina tantum *ratione ratiocinantis*, ut nil, nisi nomina pura, in Deo indigentes, quod *Nominales Scholastici* putarunt, nec *secundum naturam rei*, qua unum ab altero differat attributum, ut res et res, in ipso Deo, quod SCOTVS, L. 1. *sent. distinct. 8.* et ejus affeculae asseruerunt, sed *ratione ratiocinata*, quo attributa illa, pro nostro concipiendi modo, cum fundamento in re discernantur, non aequae inter se invicem, quam ab ipsa essentia divina: alias, quicquid est in Deo, ipse est Deus.

## Thesis II.

**D**ispescuntur *attributa Dei in absoluta et respectiva*, ac illa rursus in *negativa et positiva*.

E'ndē-



## ΕΝ ΔΕ ΟΥΤΩ.

## §. I.

Variae occurrunt *attributorum* divinorum divisiones, apud diversos Pneumaticos scriptores, ut haec sint vel *communia*, quae Deus cum creaturis simul habet atque *propria*, quae soli Deo tribuuntur: vel, quae denominandi rationem, *propria* atque *tropica*: vel, quae demonstrandi modum, vel *immediata*, quae ex primo statim Dei conceptu fluunt, vel *mediata*, quae, novo aliquo interveniente, ex illo derivantur.

## §. II.

Cum plurimis iuste dividuntur *attributa* Dei in *absoluta*, quae essentiae divinae, citra respectum ad creaturas, competunt, adeoque in sinu Trinitatis terminantur, atque in *respectiva*, quae cum relatione ad creaturas de Deo dicuntur.

## §. III.

*Absoluta* subdividuntur in *positiva*, quae et rationerei, et ratione vocis, positivum quid complectuntur, atque in *negativa*, quae negationem important qua vocem, qua rem vero substratam simul positionem. V. D. SCHMIDII Diss. de *attributis divinis*.



## Thesis III.

**A**D absoluta negativa Dei attributa referuntur infinitas, immensitas, immutabilitas, immortalitas, etc.

Ex. Deo 16.

## §. I.

*Infinitas* Dei est, qua ipsi repugnat, habere terminos essentiae, et perfectionis, ob independentiam, quae fundamentum est hujus infinitatis solidius, ac quod Cl. WOLFFIUS, c. I. §. 1072. in repraesentatione omnium universorum ponit. Si enim a nullo Deus dependet, a nullo quoque terminari potest, et vi consecutionis est *infinitus*. Absone igitur, praeter Deum, *Scholastici* nonnulli *Nominales*, ut GABRIEL OCCAMVS, actu in rebus naturalibus infinitum statuunt, atque SPINOZA, *Eth. part. 2. prop. 2. extensionem* Deo tribuit, quippe haec est affectio finiti.

## §. II.

*Immensitas* est, qua Deo repugnat commensurari spatio, sive vero, sive imaginario. Qui enim infinitus est, non potest comprehendi loco, ut adeo per immensitatem Deus non sit alligatus mundo, quod CARTESIVS, *princ. philos.*

part.



*part. II. n. 21. et ejus focii, LAMBERT. VELTHU-*  
*SIVS, de init. prim. philos. ANTON. LE GRAND,*  
*in institut. Philos. part. II. c. 9. aliique, de qui-*  
*buz ZACH. GRAPIVS, in Theol. recens - contr.*  
 P. I. p. 82. falso affirmant, sed etiam extra  
 mundum fit, cum nullos patiatur Deus fines  
 et terminos.

## §. III.

*Immutabilitas* est, qua Deo repugnat ulla  
 mutatio, et substantialis, et accidentalis, quia  
 essentia ejus est perfectissima, quae neque ab  
 intra, neque ab extra, hoc est, ut Cl. DONATI,  
 p. 196. loquitur, neque a naturali, neque a  
 super naturali principio mutari potest. V. HIER.  
 de WEDIG, Diss. de *immutabilitate Dei.*

## §. IV.

*Immortalitas* est, qua Deo repugnat cessatio  
 ab actu vitae, et quidem ob immutabilitatem,  
 vi cujus *per naturam* non potest non esse im-  
 mortalis, cum alii *Spiritus* finiti hoc attributo  
 gaudeant tantum *per gratiam.*

## Thesis IV.

**A**D absoluta positiva Dei attributa  
 referuntur aeternitas, perfectio,  
 unitas, simplicitas, vita, etc.

D 3

E. D. E.



## Εκθεσις.

## §. I.

*Aeternitas* est, qua Dei essentia nec initium, nec finem habere, concipitur, cujus fundamentum est ipsa ejus *independentia*, vi cujus ante se Deus non habet alium, quamve confirmant ejusdem infinitas et immutabilitas. Tantum igitur abest, ut, cum ARISTOTELE, eiusque affectis, PICCOLOMINEO, PHIL. CARNOTANO, *Lib. V. de initiis rerum, cap. 2.* CAESALPINO, c. l. in *quaest. Perip.* THOM. BURNETO, in *Geologia et Archaeologia*, aliisque, quos excitat Celeb. D. LOESCHERVS, in *praenot. Theol.* p. 59. 65. mundo *aeternitas* tribuatur, quippe cujus datur initium in tempore, ex ratione quoque cognoscibile, nisi quis aperte creaturam cum creatore confundere, aut frivole coaeternum quid Deo adjungere, conari velit. Et licet Cl. WOLFFIVS, c. l. §. 1075. *Aristotelicorum* conceptum de aeternitate mundi, ab aeternitate Dei, in eo distinguere velit, quod illa denotet tempus diuturnum, haec negationem temporis, et a parte ante, et a parte post, sobrius tamen Philosophus ab ejusmodi locutione abstinet, et soli Deo vindicat aeternitatem. Non vero sunt nugae et absurditates, ut frustra sentit PETR. POIRETVS, in *cogit. ration. l. III. c. 16.* si Dei aeternitas dicitur coexistere temporibus nostris, quia, dum illa est continua, atque interminabilis, non potest non simul coexistere, abs-

absq  
fens  
SCHP  
fectu  
nus  
stan  
cogi  
dice  
suffic  
xime  
afflu  
c. l. §Un  
sus et  
ri De  
infini  
Si em  
set in  
quod  
liber  
ction  
tatem  
Wo  
suffic  
rium  
sive a



absque imperfectione, tempori nostro, in sensu diviso, solide haec notante Magnif. D. SCHROEGERO, in *Diff. de aeternitate*.

## §. II.

*Perfectio* est, qua Deus omnis omnino defectus est expers, et per essentiam dicitur bonus in sensu eminentissimo, ut, quicquid praestantiae, nobilitatis et sublimitatis dari, aut cogitari possit, id omne *κατ' ἑξοχήν* Deo vindicetur, propter infinitatem ejus. Unde fluit *sufficiens* et *beatitudo* Dei, qua is, seipso maxime contentus, in omnium bonorum vivit affluentia, absque fine. V. Cl. WOLFFIVS, c. l. §. 1085. *sqq.*

## §. III.

*Unitas* est, qua Deus in se et sua natura prorsus est indivisus, ut, plures, praeter ipsum, dari Deos actu, repugnet. Requirit illam ejus *infinitas*, quia infinitum non est, nisi unum. Si enim plura essent infinita, nullum certe esset infinitum, eo quod perfectione careret quodlibet ea, quae est in infinito, et sic quodlibet infinitum esset finitum, cum contradictione in adjecto, quae ratio probandi *unitatem Dei* est fortior et clarior, quam Cl. WOLFFII, c. l. §. 1080. ex fundamento non sufficienti petita. Accedit *impossibilitas plurium Deorum*: aut enim essent coordinati, sive aequalis, aut subordinati, sive inaequalis digni-



dignitatis, neutrum dici potest: non prius, nam, quod unus possideret Deus, non possideret alter, et sic nullus Deorum esset infinitus: non posterius, quia Dei subordinati dependerent ab eo, cui subordinantur, et sic non essent Dii. Confirmat pariter *unitatem Dei* eius *necessitas*, cum ens necessarium sit maxime unum, et necessitas essendi inferat singulare, ne plura afferantur argumenta, quae videri possunt in DONATI *Pneumat.* p. 166. *sqq.* et in *pecul. Dissert. eius de unitate Dei.* Non igitur duplex Deorum genus, alterum *bonum*, alterum *malum*, cum veteribus *Manichaeis* et *Marcionitis*, a PRUDENTIO qui ideo dicitur *Duitae*, de quibus vid. Cl. Io. C. WOLFFII *Diss. de Manichaeismo ante Manichaeos*, et cum recentioribus, nempe Baelio, *Tom. II. Respons. c. 78. sq.* et T. III. *Resp.* aliisque, frivole est fingendum, vel eam ob causam, quod ex nihilo nihil fiat, et malarum actionum aequae, ac bonarum, causa prima sit indicanda. Perfectio enim Dei omnem a Deo removet malitiam, quae a causis secundis libere dependet. Unde nec licet, in Deo *masculinum* quid et *foemininum*, hoc est, Deos atque Deas, diversi sexus, cum coecis gentilibus Philosophis, de quibus vid. G. I. VOSSII *Tr. de idololatria gentilium*, et aliquot hodiernis, V. LOESCHERVS, in *Praenot. Theol.* p. 141. excogitare, quem *Polytheismum* tollit independentia Dei. Saniores potius Philosophi



phi gentiles et Poëtae, utpote MERCVRIVS TRISMEGISTVS, ORPHEVS, PYTHAGORAS, SOPHOCLES, MENANDER, reliqui, *unitatem* Dei, ductu rectae rationis, preste defenderunt, quorum testimonia collecta leguntur in TOB. PFANNERI *System. Theol. gent. pur. Cap. II. de Deo*, p. 54. *sqq.* cf. Cl. DONATI *Diff. de plurium Deorum impossibilitate*. Quod vero in hac *unitate* Dei *trinitas personarum*, ex solo lumine naturae, sibi relicto, possit colligi, recte negatur, quia haec ex eodem, nec a priori, nec a posteriori, poterit demonstrari. Quae proinde oracula gentilium Philosophorum, ZOROASTRIS, MERCVRII TRISMEGISTI, PLATONIS, de tribus principiis, *bono, mente atque anima*, PLOTINI de *tribus hypostasibus*, et aliorum, *trinitatem personarum divinarum* confirmantia, in medium producuntur apud TOB. PFANNERVM, c. I. *cap. III. p. 130. sqq.* partim sunt supposita et ficta, partim ex Iudaica traditione, et lectione Scripturae S. hausta, et in alium sensum detorta, prout haec prolixè demonstrant ROTHIVS, in *Disp. de Trinitate Platonica*, B. D. IANUS in *Disp. de Trinitate Platonismi vere et falso suspecta*, B. D. FEUSTKINGIVS, in *Disp. de tribus hypostasibus Plotini*, et PFANNERUS, c. I. *Mysterium igitur Trinitatis rationis ope indagari posse, perperam sentiunt Cartesiani* nonnulli, PHIL. MORNAEVUS, de *verit. relig. Christ. c. 5.* KECKERMANNVS, *Syst. Theol.*



L. I. c. 3. POIRETVS, in *cogit. ration.* L. III. c. 8. CHAUVIN, de *natur. relig.* P. II. cap. 8. alique, quos citat GRAPIVS, c. I. p. 102. licet simulacra *Trinitatis*, ad illustrandum ex natura petita, non sint plane rejicienda, e. g. quod *sol* ex se gignat *radium*, et ex utroque proveniat *lumen*, ex *fonte* derivetur *fluvius*, et ex utroque *rius*, ex *radice arboris* *truncus*, et ex utroque *ramus*, in *manu* una sint *pugnus*, *palma*, *vola*, etc.

## §. IV.

*Simplicitas* est, qua Deus est omnis compositionis realis expers, ob sui perfectionem et spiritualitatem absolutam. Licet etiam de Deo praedicetur conceptus communis et proprius, essentia et existentia, etc. haec tamen compositio non tollit ejus *simplicitatem*, sed, ut supra monuimus, est *rationis*, et *mentalis*, ita, ut Deus, vi suae essentiae, recte fuerit antiquis Philosophis dictus *novde*. V. M. IO. DÜNNEHAVPTI *Diff. de Deo simplicissimo*, et IO. WOLFFG. IAEGERI *Diff. de simplicitate Dei*.

## §. V.

*Vita* est, qua Deus, modo perfectissimo et aeterno, vivit, non per facultates, sed per *essentiam*, et semper est actuosus, ob sui perfectionem et simplicitatem. V. M. ELMENMORST et ANDR. GERET *Diff. de Vita Dei*.

The-



## Thesis V.

**R**espectiva Dei attributa sunt: *Omnipotentia, Voluntas, Misericordia, Bonitas, Iustitia, Veracitas, etc.*

Ex. Sec. 15.

## §. I.

*Omnipotentia* est, qua Deus omnia, contradictionem non importantia, facere potest, vi suae independentiae et perfectionis, aut *ordinarie*, secundum ordinem naturae, a se semel institutum, aut *extraordinarie* et absolute, supra ordinem naturae consuetum, quo referuntur *miracula*, quae non fieri possunt per vim naturae, et causis ex naturalibus, ut falso docent POMPONATIUS, *lib. de incantatione*, SPINOZA, in *Tract. Theol. Pol. cap. 6*. BERN. CONNOR, in *Evang. Med.* FLEETWODVS, in *inquisit. de mirac.* p. 114. et alii, sed requirunt infinitam potentiam, bene monstrante Cl. WOLFFIO, c. 1. §. 640. cf. HENR. ASC. ENGELCKE, *Diss. de miraculis quoad naturam suam et indolem*, Rost. 1707. et CHRIST. SONNTAGII *Diss. de falsis miraculis*. Quae tamen contradictionem involvunt, non cadunt in Dei omnipotentiam, prout sentit REN. CARTESIVS, in *respons. sext. n. 6. p. 160.* et in *epist. P. I. ep. 115.* V. GRAPIVS, c. 1. p. 92. *sqq.* qualia dantur

1. ratione naturae suae, uti peccare, mori.

2. r2.



2. ratione *objecti*, quod destruit essentiam eius, e. g. Deum facere alium Deum, lapidem esse hominem, etc.
3. ratione *utriusque*, e. g. factum fieri infectum. V. M. STRÜVE, quaest. *An, quae contradictionem involvunt, cadant sub potentiam Dei*. Inde tamen Deus non est impotentiae, cum PLINIO, *Hist. nat. lib. II. c. 7.* PLVTARCHO, *L. I. de placitis Philos. c. 7.* GALENO, *de usu partium, L. I. c. 14.* et aliis, arguendus, cujus potius elucet major perfectio, quod ea facere nequeat, quae in Deo imperfectionem et mutabilitatem inferrent. Cf. IAC. TENZELII *Diff. de potentia Dei.*

## §. II.

*Omnipraesentia* est, qua Deus, non tantum quoad essentiam, sed et virtutem ac operationem, omnibus creaturis est intime praesens, non *diffusive*, ut aer, qui se diffundit per omnia, nec *extensive*, ut coeli, nec *inclusively*, nec *multiplicative*, nec *definitive*, uti Spiritus finitus, sed *repletive*, ut *Scholastici* dicunt, per *essentiam*, quam falso negant *Cartesiani*, et VORSTIUS, *Disp. III. de Deo*, per praesentiam et potentiam, ita, ut sensu latiori *ubiquitas* cum *omnipraesentia* coincidat, quae in strictiori differt ab illa, ut absolutum et relativum Fundatur vero *omnipraesentia* in Dei infinitate, immensitate et omnipotentia. V. Io. DÜN-

NE



NEHAVPTI Diff. de *adessentia Dei*, et ABR. HENR. DEUTSCHMANNI Diff. de *adessentia Dei in omnibus ubi*. Absit igitur, ut, cum ARISTOTELE, *Met. c. 8. de coelo L. I. c. 3. de mundo c. 8.* Deum superiora loca tantum, aut, cum *Iudaeis* veteribus, templum Hierosolymitanum incolere, afferatur, vel utis, cum SCOTO, *L. I. sentent. dist. 7.* MART. SCHOOCKIO, in Tr. *Philos. de nihilo, c. 8.* aliisque, de quibus supra, mundo alligetur, ut potius extra mundum etiam sit, absque ullo praesentiae termino.

## §. III.

*Omniscientia* est, qua Deus omnia, praesentia, praeterita et futura, etiam contingentia et possibilis, cognoscit, qua causas et circumstantias omnes, uno simplicique actu, per se, immediate, ac sine discursu, ob sui perfectionem, omnipraesentiam et omnipotentiam. Natura enim intellectus divini est, cognoscere objecta, quae sunt cunquae, non *discursivae*, quando ignotum colligitur ex noto, sed *intuitive*, simplicissime, sine ullo medio, ut proprie nec *consilio*, nec *judicio*, nec *recordationi* hic detur locus: non *mediate* per species, sed *immediate* per solam intellectus perspicaciam: non *apprehensivae*, sed *comprehensivae*, perfectissime, verissime, certissime, et adaequate. V. ÆG. STRAVCHII Diff. de *scientia et ideis infiniti Spiritus*. Atque dividitur *omniscientia* sive a veteribus Philosophis



phis in *scientiam simplicis intelligentiae*, sive *abstractivam*, qua Deus omnia possibilea novit, absque ullo decreto, in *scientiam visionis*, sive *intuitivam*, qua novit res ex decreto futuras, et in *mediatam*, qua sub conditione futura novit, sive sint necessaria, sive contingencia, V. I O H. HENR. PRIESTER, Diss. de *scientia Dei circa futura conditionata*, missis levioribus *omniscientiae* divisionibus, in *simplicem* et *approbationis*, in *affirmativam* et *negativam*, in *theoreticam* et *practicam*, in *naturalem* et *liberam*. Sicut autem ex futurorum contingentium et necessariorum sciencia oritur *praescientia* divina, repudiato *Epicuraeorum* dogmate, omnia fieri casu: ita haec *praescientia* non est rerum praescitarum causa, ut illis necessitas fatalis cum *Stoicis* tribuatur, quod patet partim ex natura intellectus, qui in nullo agente rationali est causa operationum ad extra, partim ab inductione, dum Deus se ipsum cognoscit, neque tamen est causa sui ipsius, itemque mala cognoscit, neque tamen autor mali dici potest. Relinquit potius diuina *praescientia* rebus contingentiam, et hominibus in agendo libertatem, nisi absurda quis defendere velit. V. DONATI Diss. de *anticipatione Numinis*, item, *an, quia res praescita a Deo, ideo sit futura? Num, quia futura, idcirco a Deo sit praescita?*



## §. IV.

*Voluntas* est, qua Deus appetit bona, et auerfatur mala moralia, impossibilia, ui suae perfectionis absolutae. Vnde absone CARTESIVS, *medit. 4* hanc Deo denegat affectionem, et *Manichaei* Deo originem mali tribuunt. V. M. DEVTSCHE, *Diff. de voluntate Dei circa mala.*

## §. V

*Misericordia* est, qua Deus omnium creaturarum facile miseretur, vi *causae internae*, quae est bonitas, et *externae*, quae est rerum creaturarum miseria.

## §. VI.

*Bonitas* est, qua Deus omnes creaturas amat, atque donis variis ornat, vi suae potentiae. V. M. MARQVARDI *Diff. de bonitate Dei.*

## §. VII.

*Iustitia* est, qua Deus suum cuique tribuit, bonis bona, malis mala adiudicando, vi suae perfectionis, et bonitatis.

## §. VIII.

*Veracitas* est, qua Deus, quae instituit, ac promisit, vere praestat, ui suae omniscientiae. Atque hae affectiones Deo tribuuntur eminenter, quarum nonnullae Spiritibus finitis competunt secundo. V. M. STÜVE, *Diff. de affectibus in Deo.*



CAP. IV.  
DE  
ACTIONIBVS DEI.

Thesis I.

**A**CTIONES Dei sunt vel *internae*,  
vel *externae*.

Ex. Deoic.

§. I.

*Actiones Dei internae*, siue immanentes,  
sunt, quibus Deus intra se ipsum agit, quae-  
ve ideo in eodem terminantur, adeo, ut de il-  
lis parum, aut nihil, sciri possit, quales sunt  
*intellectio et volitio*.

*transiens actio* §. II.

*Externae Dei actiones* sunt, quibus Deus  
extra se est actuosus et operativus, ut nun-  
quam otiosus esse possit.

Thesis II.

**R**eferuntur ad *actiones Dei exter-  
nas creatio, conseruatio, concur-  
sus et gubernatio*.

Ex. Deoic.



## ENDEOIC.

## §. I.

*Creatio* est actio, qua Deus aliquid vel ex nihilo, vel ex materia inhabili, vi suae independentiae, infinitatis, aeternitatis et omnipotentiae, produxit. Non enim hic intelligitur *creatio abusive talis*, qualis est Imperatoris ab Electoribus, Poëtae a Comite Palat. Caesareo: nec in *sensu generali* sumitur, prout in Metaphysicis quamlibet productionem notat, uti calcei creantur a futore: nec pro *creatione Secunda*, quae est ipsa generatio, uti liberi creantur a parentibus: sed *stricte talis*, notatur ubi creationis *principium* est *Deus* gloriosus, non Angeli, *obiectum* illius sunt omnia, quaecunque sunt, completa et incompleta entia, *modus* eiusdem lumini naturali est paullo *obscurus*, indeque cum *Cartesianis* non ex liberis hypothefibus fingendus, V. CARTESII *Princip. Philos. P. 3. n. 44. Sqq.* nec iuxta leges motus ordinarias cum CARTESIO, de *methodo*, p. 41. THOMA BURNETO, in *Theoria telluris sacra*, VV HISTONO, in *Theoria telluris nova*, DICKINSONIO, in *Physica veteris et uera*, aliisque, instituendus, ex independentia tamen Dei summe est probabilis, quod Deus *ex nihilo* primum omnia produxerit, partim *negatiuo*, partim *priuatiuo*.

## §. II.

Vnde errant OCELLVS LVCANVS,  
E ARI-



ARISTOTELES, de *coelo*, L. 1. c. 9. et Scho-  
*lastici*, utpote THOMAS, *Part. 1. quest. 46. ar-*  
*tic. 2.* OCCAMVS cum suis *Nominalibus*, quando  
 Deum dicunt aeternum, et mundum ab ae-  
 terno productum, quia produci contradicit  
 aeterno: nec *creatio mundi* per emanatio-  
 nem ex essentia divina, cum *Boehmistis* et  
 MALEBRANCHIO, neque ex praeeistente  
 materia, cum *Manichaeis* et *Mathematicis Cop-*  
*ernizantibus*, est facta, sed ex *nihilo*, uirtute  
 Dei omnipotenti, quod frivole negant SPINOZA, in *Eth. part. 1. prop. 6.* CAROL. BLOUNT,  
 in *orac. ration.* THOM. BURNET, in  
*Archaeol. Philos. L. 2. c. 9.* V. GOD. ZAPFVS  
 in *Diss. de natura creationis*, ceteri.

## §. III.

Creationem excipit *Conservatio*, quae est  
 actio Dei, qua ipse rebus creatis in existendo  
 et essendo providet, quam falso inficiantur  
 Athei, praesertim SPINOZA, in *Eth. prop. 29.*  
 THOMAS HOBBS, in *prima Philos. cap. 9.*  
 et NIC. TAVRELLVS, *Lib. de mundo. p. 233.*  
*sqq.* quando dicunt, mundi conservationem  
 esse *αεὶσπρον*, et ita creatum mundum, ut nul-  
 lo conservatore indigeat. Pariter *conserva-*  
*tionem* maxime laedunt *Stoici* suo *fato*, quan-  
 do immutabilem rerum omnium necessitatem,  
 qua excluditur quaevis contingentia, defen-  
 dunt, a quorum sententia stare videntur Neo-  
 terici quidam Pseudo-Philosophi. Hos ta-  
 men refutant

I. Dei



1. Dei existentia, qui, postquam a creatione quieuit, utique aliquod praeclarum egit, sed non sine continua operatione, quia est semper actuosus:
2. ordo universi et directio creaturarum ad certum finem:
3. creaturarum indigentia, quia causa secunda semper postulat influxum causae primae:
4. praemia virtutum, et poenae vitiorum:
5. absurdum: aut enim nescit Deus res creatas, aut non potest eas conservare, aut non vult: nullum horum dici potest, primum pugnat contra Dei omniscientiam, alterum contra Dei omnipotentiam, tertium contra Dei immutabilitatem.

## §. IV.

Nec res minima caret Dei providentia, sive sit illa corruptibilis, quam PLATO, sive monstrum, quod IO. ERIGENA SCOTVS, sive pulices, quos THOMAS, P. I. quaest. 23. excipiunt, quasi Deo sit indignum, tam viles curare creaturas. Quodsi enim ipso non fuit indignum, res minimas creare, eodem quoque non erit indignum, illis providere, quippe non easdem conservaret vel ob ignaviam, vel ob superbiam, vel ob defectum potentiae, aut praesentiae, vel ob metum iniquationis: nullum horum dici potest ob absurda, quae insistent. V. D. STOLZII Diss. de providentiae divinae veritate.



## §. V.

Non ita tamen Deus in *providendo* est aligandus, ut nihil absque ordinariis mediis agere possit, ut potius ultra naturae leges ex liberrima sua potentia, quamvis rarius, *providentiam* suam exerere possit, modo nulli creaturae cognito, quod notandum est contra POMPONATIVM, *Libr. de incant. p. 182.* LOCKIUM, SPINOZAM, in *Tr. Theol. Pol. c. 6.* CONNOR, in *Evangelio Medici*, GREVV, in *Cosmologia sacra*, et alios, qui miracula opera tantum naturae infolita vocant. V. HENR. ASC. ENGELCKE, *Diff. de miraculis.*

## §. VI.

*Concursus* est actio Dei, qua ipse tam ad actiones, quam operationes, non tantum virtute, sed et supposito, non tamen praevie ac praedeterminative, sed simultanee, minime ut causa principalis cum instrumentali, neque ut causa partialis cum partiali, sed ut *causa universalis* cum *particulari*, coinfluit. Neque actiones causarum secundarum sunt tantum Dei, et creaturae unice sunt causae occasionales, prout *Cartesiani* absurde fingunt, quia sic Deus omnes, etiam malas, actiones efficeret, et frustra idem causis secundis dedit facultates, quas non exercerent: potius Deus concurrat ad actiones bonas *productive* et *effective*, ad malas *permissive* et *determinative*, non ad hunc formale, sed materiale.

V. Do.



V. DONATI Diff. de *concurso Dei cum causis secundis, et de Deo hypothetice volente*, M. STÜVE, de *indifferentia concursus divini*. Inde nec licet Deum excludere ab actionibus causarum secundarum, quod tentarunt PELAGIVS, TAVRELLVS et DVRANDVS, quia sic in operando creaturae forent independentes, et nulla daretur creatura Dei.

## §. VII.

*Gubernatio* tandem est actio Dei, qua ipse hoc universum, et quicquid in eo est, sapienter dirigit, in sui laudem, et creaturarum incolumitatem. Inprimis illa se exerit in *vitalae humanae termino*, qui est vel *necessarius*, naturalis ac debitus, vel *extraordinarius* ac contingens, aut cum *abbreviatione*, aut *prolongatione*, *infallibilis* quidem, certus et fixus, minime vero cum *Stoicis absolute fatalis*, sed *mutabilis*.

## CAPVT V.

DE

## CVLTV DEI.

## Thesis I.

Quo certior de Deo *sensus* ex ratione colligitur, eo dignior quoque ipsi debetur *cultus*.

E 3

E 28-



## Εὐθεσις.

## §. I.

Licet haec ipsa tractatio de *cultu divino* videatur magis pertinere ad *Ethicam*, vel, ut alii docent ex recentioribus, ad *Ius Naturae*, ubi de officiis hominis erga Deum agi insimul solet: ordo tamen doctrinae requirit, ut in Theologia naturali, perspecta Dei cognitione, de *cultu* eiusdem pauca dicantur.

## §. II.

Vel ipsa ratio svadet, ut, cum ob perfectionem, potentiam, beneficentiam et bonitatem magni Principes in terris colantur, eo magis summo enti, quod est Deus, ob infinitas doctes, et beneficia in creaturas innumera, non *civilis*, sive *politicus*, sed *religiosus* et sanctus debeat *cultus*.

## §. III.

Est vero *cultus Dei* actio creaturae intelligentis, qua cognitum Numen veneratur certis legibus ac ceremoniis, quo magis actiones certos habent gradus, secundum quos incedant necesse est.

## Thesis II.

**E**st ille *cultus* in Deum vel *internus*, vel *externus*, ille absolute *necessa-*



*cessarius, hic secundam quid talis, valdeque utilis.*

*Εὐθεσις.*

§. I.

*Internus Dei cultus, quo in animo, et ex animo, in Deum trahuntur creaturae rationales, variis absolvitur actibus:*

- 1.) *honore*, qui est veneratio alienae potentiae, coniunctae cum bonitate, et Deo debetur ob creaturarum a Deo *dependentiam*, bonitatem ac potentiam eius infinitam:
- 2.) *amore*, ut Deus ametur super omnia, non propter aliud, e. g. propter commoda huius vitae, vel spem alterius, qui amor est mercenarius, sed propter *semetipsum*:
- 3.) *spe* in Deum *omniscium*, qui scit, quae nobis sunt salutaria, in *omnipotentem*, qui eadem possit, et in *summe bonum*, qui ipsa pariter velit largiri:
- 4.) *acquiescentia* in ipsius voluntate, ut nulla res, sive prospera, sive adversa, nos afficiat, ut desciscamus a Deo:
- 5.) *timore*, non fervili, sed *reverentiali*, ut ad nutum divinae maiestatis alia libenter peragantur, alia omittantur.

§. II.

*Externus Dei cultus, qui nunquam sine interno esse debet, atque externis gestibus ac*



ceremoniis, pro diversis gentium moribus, instituitur, itidem variis exhibetur partibus :

1. *obsequio*, ut in omnibus actionibus, quantum fieri potest, voluntas Dei exprimitur;
2. *precibus* pro obtinendis bonis, et aver- tendis malis, non, quasi Deus illis opus habeat, quippe qui jam ante novit, quae nobis sunt utilia, et necessaria, sed ut no- stra indigetetur *indigentia*, dependentia a Deo, et *exauditio* precum a Deo pro- missa. Sint autem *preces* vel *publicae*, vel *privatae*, ex devoto corde proveniant, pro- priisque, potissimum verbis, ad calamitatis aut beneficii normam directis, proferan- nec tantum sint *consuetudinariae*, juxta certas *leges*, longorum verborum tenore, absque discrimine conscriptae, sed *brev- es*, *tempestivae*, certis sanctis gestibus, certisque ritibus conjunctae :
3. *gratiarum actione*, pro tot bonis a Deo acceptis, publice privatimque instituta, quo certior illa ad plus dandum est invi- tatio :
4. *considerato* de Deo *sermone*, ne fiat abu- sus nominis divini, nec maledictiones, execrationes, periuria, et id genus alia committantur.

## S. III.

Vterque Dei *cultus* est omnino *necessarius*, nec argumenta SPINOZAE, in *Tract. Theol. Pol.*



*Pol.* p. 282. sq. et in *Theol. Polit.* cap. V. p. 62. atque THOMASII, in *Instit. Jurispr. div. Lib. II.* p. 149. ed. A. 1702. et in *Intrad. in Philos. Mor.* P. I. p. 113. sqq. sufficiunt, in dubium vocare necessitatem cultus externi, uti videre est in Cl. LOESCHERI *Praenot. Theol.* p. 91. et in Cl. HASSEN *Diff. de necessitate cultus divini externi*, Cl. CHR. RÖHRENSÉE *Diff. de cultu numinis*, quatenus naturae patet, et IO. FRID. HERTTENSTEIN, de *cultu divino naturali*.

SECTIO II.

DE

SPIRITIBVS DEPENDENTIBVS

ET QUIDEM

DE

Ἀγγελολογία

SIVE DE ANGELIS.

CAPVT I.

DE

ANGELORVM EXISTENTIA.

Thesis I.

**A** posteriori etiam colligitur ex ratione, dari SPIRITVS DEPENDENTES.

E 5

Ἐνθε-



Ex. 98. 16.

§. I.

Equidem *Scholastici* olim nonnulli, ut THOMAS et SVAREZIVS, *Spirituum dependentium existentiam* demonstrare voluerunt ex mundi perfectione, quasi hic produci non potuisset sine illorum cooperatione. Sed supra iam evictum est, soli Deo opus creationis competere, absque causa facia et ministeriali.

§. II.

Nec cum aliis *Scholasticis*, utpote VASQUEZIO, *existentia Spirituum finitorum* ex substantia immateriali et independente demonstrari poterit, quippe haec existere posset, licet non detur finita, completa. *Spirituum* potius *dependentium existentia* colligitur ex nostrae animae, de qua *sectione* sequenti, praesentanea sensione, tanquam Spiritu finito, et incompleto, a quo inferitur finitus, immaterialis, *completus*.

Thesis. V.

**S**peciatim *Angelorum, sive intelligentiarum, existentia* ex lumine naturae quoque est cognoscibilis.

Ex. 98.



## Ενθεσις.

## §. I.

Ipsa vox *Angeli* non est *Persica*, ab *Angaris*, quod Persis notat *cursorum*, sive missum regis, sed *Graeca*, ἀπὸ τῆς ἀγγέλλειν, a nunciando, non sumta *generaliter*, pro quovis internuncio, nec *specialiter*, pro ministris ecclesiae, nec *singulariter*, pro angelo increato, sive filio Dei, sed *specialissime*, pro Spiritu creato per se subsistente, cujus *Synonyma* sunt, apud profanos scriptores saepius obvia, *intelligentia*, a praesstantia intelligendi, qua post Deum gaudent: *Dæmon*, non in sensu speciali famoso Biblico, sed profano latiori indifferenti, ut *εὐδαίμονες* et *καποδαίμονες* subintelligi possint: *mens*, *genius*, et sic porro, haud raro dicitur profanis Scriptoribus Gentilibus, quod Christiani nominant *Angelum*.

## §. II.

Minime tamen *Angelorum existentia ex motu coeli*, quasi hoc circumrotarent, cum *Aristotelicis* et *Cartesianis* edoceri potest, eo quod Deus est prima motus et sphaerarum coelestium causa: nec quia possunt esse, aut non repugnat existere, ideo *Angeli* existunt, quod SVAREZIVS putat, sed *Angelorum omnino existentia* cum EBELIO, SCHERZERO, RUDRAUFFIO, aliis, ex lumine quoque naturae *probabilis* reddi potest, non apodictica, uti Cl. DONATIC. l.



p. 426. sentit. V. IOH. OHN. Diff. de *Angelis ex lumine naturae demonstrabilibus*, et M. IO. AD. LEONH. REIZII Diff. de *existentia Angelorum ex Theologia naturali*. Frivole igitur omnem *Angelorum* cognitionem per naturam tollunt BECANUS, LALEMANDUS, HEERBORDVVS, DIETRICH, in Diff. de *Angelis naturae lumini incognitis*, et gratis eandem in dubium vocant CHR. THOMASIVS, cap. II. de *Philosophia in genere*, Cl. ÆPINUS, c. l. reliqui, cum probabiles dari possint *existentiae Angelorum* rationes, petitae

1. ab *effectis*, quae solis competunt *intelligentiis*, et naturaliter cognoscuntur, qualia deprehenduntur
  - a) in *obsessis* hominibus, qui, saepius plane rudes, linguas exoticas loquuntur, quas nunquam didicerunt, et futura contingentia praedicunt, qualia sibi relicti nequeunt scire.
  - β) in *lamiis*, miras fascinationes et effecta magica exhibentibus.
  - γ) in *spectris*, quae interdum in corporibus ad tempus assumtis apparent, et admirandas exercent actiones.
  - δ) in *oraculis*, quae ultra captum humanum futura praedixerunt. V. D. MOZBI Tr. de *oraculis*
2. a *remotione animae*: effectus enim jam enumerati aut essent ab anima *unita*, aut *separata*. Neutrum dici potest, non *illud*, quia *obsessi* saepe sunt, indocti et magiam nemo di-



dicit a seipso; non *hoc*, quia post separationem *anima* statim est vel in coelis, vel in inferis, et alias in uno homine duae essent animae rationales, quod absurdum est, dum anima non nisi cum suo corpore unitur. Nec tamen *Deus* illorum effectuum, conjunctim sumtorum, dici potest *caussa*, ob sanctitatem ejus, quae non, nisi cum blasphemia, illos admittere potest: nec *genius Platonicus*, vel alia, a Deo, Angelis et animabus hominum diversa, substantia in subsidium vocari poterit, quae certe non datur. Relinquuntur igitur illi effectus *Spiritui completo* nobiliori, quem nos appellamus *Angelum*.

3. ab *existentia Spiritus incompleti*, cui, tanquam species opposita, contradistinguitur *Spiritus completus*.
4. a *testimonio gentilium*, qui ex sola ratione *intelligentias* cognoverunt, quod testantur oracula PLUTARCHI, PLATONIS, aliorum, quae vide ap. AUGUSTINUM, de *Civit. Dei*, L. IX. c. 19. et PFANNERVM, c. I. cap. VI. p. 170. seqq.

### Thesis. III.

Ex sacro quidem codice longe evidenti-  
us cognoscitur *existentia Angelorum*, et bonorum, et malorum,  
firma



firma tamen fatis est demonstratio ex ratione *existentiae malorum Angelorum*, non aequae *bonorum*, de quibus ferme nihil Philosophia docere potest.

Ἐν Θεοῖς.

§. I.

Licet etiam *revelatio* de die, quo creati sunt *Angeli*, nihil in medium proferat, illorum tamen creationem, uti reliquarum creaturarum, certo confirmat, quorum alios in bono concreto perfecisse, alios sponte defecisse, perspicue monstrat.

§. II.

Ratio vero, quamvis *Angelorum* generatim *existentiam* haud ignoret, *malorum* tamen cognoscit clarius, quam *bonorum*. Illos enim existere, probat partim *existentia mali*, quod quilibet homo in se sentit, non a Deo, bonitatis fonte, sed a *Spiritu* quodam *maligno*, impios dirigente, profectum, V. WOCKENII *Element. Pneumat.* p. 33. *sqq.* partim *obsessio corporalis*, alique effectus, de quibus Thef. II. quos etiam falsi sunt gentiles Scriptores, PLVTARCHVS, PLATO, teste CLEM. ALEXANDRINO, *Strom. Lib. V.* p. 444. Facile autem liquet,  
Ange-



*Angelos malos a prima creatione non extitisse tales, sed, ex sapientia et bonitate Dei, bonis primum dotibus praeditos, post bonitate illa, culpa propria, excidisse. Quae tamen lapsus illius causa fuerit, vel maxime rationem latet. Angelos quoque bonos dari, vi oppositorum colligitur, et ex apparitionibus eorum, in custodiendis probis hominibus, probatur, ne quid dicamus de testimoniis ipsorum gentilium, ORPHEI, HESIODI, PLVTARCHI, PLATONIS, apud PFANNERVM, c. l. p. 177. seqq. unde existentia Angelorum etiam bonorum confirmatur. V. M. STRÜVE, Diss. de existentia Angelorum, et D. PAUL. GOTTL. HOFFMANNI Diss. de Angelorum existentia et ordine.*

## CAP. II.

## DE ESSENTIA ET ATTRIBVTIS ANGELORVM.

## Thesis. I.

**E**x lumine quoque naturae aliqua ex parte cognosci potest, quod ANGELI sint *Spiritus dependentes, completi.*

Eus:-



## ΕΞΕΘΙΣ.

## §. I.

Quemadmodum ratio *Spiritus* in genere *essentiam* difficulter indagare potest: ita *Angelorum* quoque in *hypothesi essentia* cognitu est difficilis. Non tamen est, quod proinde cum veteribus *Sadduceis*, et recentioribus, THOM. HOBBSIO, in *Leviathan*, cap. 34. p. 186. in *Append. c. 3.* p. 362. SPINOZA, *Ep. 55.* p. 564. et *Ep. 58.* p. 569. BECKERO, in *mundo fascinato*, L. II. c. 6. cum Anonymo, in *concord. rat. et fidei*, p. 8. *Angeli* dicantur *Phantasmata*, quae nec realia sint, nec diutius permaneant, ac somnium et risio, quam absonam opinionem jamdudum refellerunt COQUIVS, in *Anatom. Hobbesianismi*, B. GERH. MEIERS, in *Angelogr. Hobbesii*, et NATH. FALCKIUS, in *Daemonol. Diss.* 3. Nec natura sua *Angeli* ad corpus aliquod proprium informandum sunt conditi, quam subtile etiam illud sit, quale olim *Platonici*, *Porphyrius*, multi *Parres*, *Scholastici* nonnulli, VORSTIVS, HUGO GROTIUS, hodie POIRETVS, in *cogit. ration. L. 1. c. 7.* et alii *Angelis* tribuunt. Quanquam enim *Angeli* ad tempus corpus assumere possunt, de quo *Cap. 3.* non tamen ideo sunt proprie *corporei*. Nec in *cogitatione* tantum tota *Angelorum essentia* consistit, quod *Cartesiani* uno ferme ore produunt, quippe *cogitatio* est operatio intellectus *Angelici*, non ipsa *essentia*.

§. II.



§. II.

Rectius docetur in thesi, *Angelos esse Spiritus*, sive substantias incorporeas et immateriales, prout ex ipsorum spiritualibus operationibus colligere licet, quales sunt eorum *intelligentia, volitio, penetratio* in corpora momentanea, *invisibilitas*, et quae sunt aliae, de quibus in *Part. Gener.* Atque hos esse *dependentes*, ex independentia Dei, ipsi unice propria, haud obscure patet, pariterque *completos* esse eosdem, vel inde constat, quod carent corpore, nec ordinati sunt ad aliud, cum quo constituent unum per se.

Thesis II.

**N**ec defunt ATTRIBUTA, ex quibus major de *Angelis* hauritur cognitio, et sunt vel *communia*, vel *propria*.

ΕΞΘΕΩΣ.

§. I.

Ad *communia* refert Cl. DONATI c. I. p. 431. quae *Angeli* partim cum Deo, de quibus in *Part. Gen.* et sunt *simplicitas, illocalitas, immaterialitas, invisibilitas*, etc. partim cum anima nostra possident, et sunt posterioris generis *finitudo, alicubieta* et *aeviternitas*.

F

§. II.



## §. II.

*Finitudo Angelorum* probatur tam a *finita essentia*, quam habent a Deo, qui solus est infinitus, quam a *finitis proprietatibus*, quae sunt finita duratio, praesentia etc.

## §. III.

*Alicubietas Angelorum* probatur ex ipsorum *ubi*, sive *ubi definitivo*, quo gaudent illi qua substantiam et operationem, ut non ubivis, nec in pluribus ubi simul, quod *Cartesiani* docent, esse possint, nec tamen certo loco circumscribantur, sed in *ubi determinato* libere existant. V. D. ALBERTI Diss. de *ubi Angelorum definitivo*.

## §. IV.

*Aeviternitas Angelorum* iudicatur ex infiniti Dei unitate, qui non patitur coaeternum, unde *Angeli* agnoscunt, vi creationis, initium, minime finem, ob immaterialitatem.

## Thesis III.

AD *propria Angelorum attributa* referri possunt *bonitas, multitudo, potentia*.

EX DEO IC.

## §. I.

*Bonitas essentiae Angelorum* cognoscitur facile



S. II. C. II. DE ESSENTIA ET ATTRIB. ANGEL. 83

cile ex natura, per creationis beneficium illis inesse debita, quippe Deus nil nisi bonum produxit. Discrimen igitur *Angelorum bonorum et malorum* est tantum accidentale, quod sacer codex clarissime monstrat, Philosophia vicissim ex diversis eorum apparitionibus et operationibus *probabiliter* colligit. Cf. *Cap. I. Thef. III. §. 2.*

§. II.

*Multitudo Angelorum* patet tam ex tot ac tantis eorum effectibus bonis et malis, quam opposita specie, *anima*, quae sunt multae, et qua operationem diversae. Quantum autem cunque sit *Angelorum* numerus, finitus certe est, et ordine quodam distinctus.

§. III.

*Potentia Angelorum* colligitur ex eorum operationibus internis et externis, ex eorundem velocissimo actu, ut per spatia multa, uno temporis momento, transire possint, ex formatione corporum mire assumpta, et quae sunt alia, de quibus *Cap. sequ.*

CAP. III.

DE

ACTIONIBUS ET OPERATIONIBUS ANGELORUM.



## Thesis I.

**A**CTIONES *Angelorum* sunt vel *internae*, vel *externae*,

Ex. Descr. 16.

## §. I.

*Internae* sunt *intellectio* et *volitio*. Per *illam* notatur actus intellectus, quo, absque sensuum ope, *Angeli* rerum naturam intimius cognoscunt, non tamen *omnium*, uti *Deus*, qui solus est omniscius, nec cuncta sciunt *uno simplici intuitu*, sed multa simul per *discursum*, atque futura necessaria *certo*, contingentia vero simpliciter talia, atque secretas hominum cogitationes, tantum *probabiliter*. V. AD. ERDM. MIRI Diss. de *praescientia Angelorum*, NATH. FALCKII Diss. *num Angeli intelligant secreta cordium*, contra ANTON. LE GRAND, in *Instit. Philos. Parr. III. cap. 3.* et IOH. SCHULERUM, in *Exercit. Philos. L. 3. Qv. 21.* qui, cogitationes hominum ab intellectu *Angeli* certo percipi posse, statuunt, cum tamen solus *Deus* sit *cordium* scrutator.

## §. II.

*Volitio* est actus voluntatis, quo *Angeli* cognita bona appetunt, mala fugiunt, libere et absque coactione.

The-



Theſis II.

**E**xternae ANGELORUM actiones ſunt  
variatio ubi, locutio, apparitio, et  
variorum operum effectio.

ΕΝΔΕΞΙΣ.

§. I.

Variatio ubi eſt actio Angelorum, qua illi  
ab ubi ad aliud ubi ſe vertunt, ſine motu phy-  
ſico, in momento, ob ſui velocitatem, citra  
occupationem ſpatii, unde dicitur *acceſſus, re-  
ceſſus, diſceſſus Angelicus*. V. SCHARFFIUS, c. I.  
p. 169.

§. II.

Locutio Angelorum eſt actio, qua illi conce-  
ptus inter ſe communicant, cum quibuſcun-  
que volunt, non per voces expreſſas, ope cor-  
poreorum organorum, quibus non gaudent,  
niſi in aſſumpto corpore, uti conſtat ex oracu-  
lis gentilium, ſed modo nobis incognito.  
Quam certum enim eſt, *Angelos* inter ſe col-  
loqui, hoc eſt, conceptus atque affectus in-  
ternos ſibi invicem manifeſtare, tam obſcu-  
rum eſt, utrum illa *locutio*, ſive manifeſtatio,  
ſiat per impreſſionem ſpecierum intelligibili-  
um, an per nutus et ſigna ſpiritualia, an per  
ſolam directionem conceptuum unius *Angeli*

F 3

ad



ad alterum, an alio modo, de quo *Scholastici* olim acriter disputarunt. V. D. ALBERTI *Diss. de Angelorum locutione*, ERN. GER. SIRICII et MAURITII ENGELII *Diss. de Angelorum linguis*, IO. PASCHÆ *Diss. de Angelorum lingua sine lingua*. Interim haec ipsa *Angelorum locutio* analogica cum THOMASIO, c. l. minime est in ridicularum et palpabilium ineptiarum numerum referenda.

## §. III.

*Apparitio Angelorum* est actio, qua illi, magis *mali*, quam *boni*, sub specie sensibili quandoque apparent, et in corpore, accidentaliter unito, sensibus externis se obijciunt, ut mox videantur, unde *ὄρασις*, *spectra*, *ostensa*, *Gesicht*, *Gespess*, dicuntur, mox audiantur, mox tangantur, mox olfactu percipiuntur, foetorem post se relinquentes, quod documenta historica fide digna, antiqua et nova, saepius comprobant. Nec est perceptu difficile, *Angelos* posse assumere corpora, modo *cadaveris* et *bruti*, praesertim cum tanguntur et odore percipiuntur, modo *aëris condensati* admixta aqua ob colorum varietatem, quando conspiciuntur, modo *vaporum conspersione*, ita tamen, ut illud *corpus assumptum* non se habeat ut *forma informans*, sed ut *assistens*, et importet *unionem* non essentialem, sed *accidentalem*. V. D. CLODI *Diss. de Angelo in assumpto corpore*, et D. ALBERTI, de *Angelica corporum assum-*



*assumptione.* Et quamvis lubenter concedatur, *Angelorum apparitiones* a deceptionibus ac fraudibus impiorum hominum, et propriorum sensuum externorum fallaciis accidentalibus, bene esse secernendas, cavendum tamen est, ne cum POMPONATIO, Tr. de *Immortalit. animae* p. 124. BEKKERO, *Lib. IV. Mundi fascino.* c. 5. HONTANA, in *Dialogis*, p. 188. THOMASIO, Disp. de *Magia*, et aliis, omnes *bonorum et malignorum spirituum apparitiones*, vel olim factas, vel hodie narratas, absque discrimine rejiciantur, ut potius cum circumspectione, ex tot diversis exemplis, in tam disitis inter se locis, a sagacibus diversae etiam religionis observatis, confirmetur, *dari spectra*, sive *apparitiones Angelorum.* V. SAM. SCHELGVI-GII, S. F. FRENZELII, GUST. FRID. PISTORII et D. ROMANI *Dissertationes de spectris*, et B. KIRCHMAIERI *Diss. de Spirituum apparitionibus.* Cur vero in *certis tantum locis*, ibique *certis duntaxat personis*, ejusmodi appareant spectra, non promiscue omnibus, ejus ratio proxima cum doctissimis ignoratur, ipsa tamen res non abnegatur.

### Thesis III.

*Angelicorum operum effectio est vel immediata, vel mediata.*



## Ἐνδεσις.

## §. I,

*Angelorum bonorum opera* rationi non sunt adeo nota, nisi quod ex effectu eorum cura et custodia, hominibus praestita, colligi possit, ut etiam Gentiles olim singulis hominibus proprium *Angelum*, sive *genium*, praesidem quasi, custodem et comitem, assignaverint, docentibus SENECA, *Ep. no.* HORATIO, *Lib. II. Ep. 2.* PLUTARCHO, de *Socratis* celebrato *Genio*, PLAUTO, in *Mercat. Act. V. sc. 1.* CLEM. ALEXANDRINO, *Strom. Lib. V. p. 445.* et aliis, quos vide in PFANNERI *System. c. l. p. 180. seqq.*

## §. II.

*Malorum autem Angelorum* plura ex lumine naturae cognosci *opera*, uno omnes ore confirmant. Sunt illa duplicis generis, vel *immediata*, vel *mediata*. Ad illa referuntur, quae ipsi *Angeli mali* perficiunt, utpote effectuum naturalium, mediantibus causis naturalibus, mirā et insolita productio, quales sunt, *concitatio venti vehementioris, tonitruum, fulgurum, pluviarum, terrae motuum, hominis vel alius objecti subitanea translatio, aut subtractio, rei inanimatae incesso et loquela, gravissimorum morborum et dolorum procreatio, applicatio activorum cum passivis*, ob intimam, quam possident, in rebus naturalibus scientiam, variaeque delusiones, mutando objectum, qua  
acci-



S.II. C. III. DE ACTION. ET OPERAT. ANGEL. 89

accidentia, mediante aëre et organis sensuum. V. Io. PASCHII Diff. de *operationibus Daemonum*. Inprimis notatu dignum est *Angolorum malorum opus immediatum*, quod dicitur *obsessio* hominis *corporalis*, quam, prout reliquas eorum operationes, negare conantur POMPONATIVS, c. l. HOBBSIVS, c. l. BEKKERVS, c. l. LANGIVS, Tr. de *Vaporibus*, THOMASIVS, c. l. I. C. WESTPHALVS, in *Patbol. Daemon*. BASNAGIVS, in *Exercit. contra Baronium*, p. 635. aliique, illius phaenomena epilepsiae maniacae, vel catalepsi ecstatacae, vel melancholiae hypochondriacae, vel morbo archeali, vel figmentis etiam gentilitiis et Papisticis tantum adscribentes, cum tamen praedictio futurorum contingentium, linguarum antea ignotarum prolocutio, robur in portandis oneribus incredibile, et alia, consuetum naturae ordinem excedentia effecta, satis evincant, *Spiritum*, majori vi, quam anima corpusque hominis possident, praeditum, hominibus ejusmodi obsessis interesse.

§. III.

Nec est, quod BEKKERVS, c. l. cum suis affectis excipiat, ad tollendas *Angolorum malorum* in hoc mundo *operationes*, has non posse concipi, cum illi ut *Spiritus* et *cogitationes* a materia, ejus motu, toto, ut ajunt, differant coelo, siquidem, hanc exceptionem *Cartesiana* hypothese falsae de *Spiritus essentia*, su-

F 5

pra



pra ex instituto recensitae, inniti, quivis facile videt. Neque Deus ideo, ex mente BEKKERI, regnum suae potentiae et iustitiae permittit *Angelis malis*, tanquam hostibus suis, si illi in mundo sunt et operantur, siquidem eisdem semper in operando ponit limites, quos transgredi nequeunt. Falso autem sibi concipit BEKKERVS, *Daemonem* ita esse *detrusum ad inferos*, ut ibi vinculis alligatus, et perpetuis tormentis afflictus, nihil in hoc mundo operari possit, cui asserto experientia contrariatur. Neque hoc argumentum ipsius est validum: *si Genii boni se non possunt opponere Deo, nec malas actiones exercere in hoc mundo, multo minus mali*; tam incongrue certe concludit, ac si quis ab eo, quod fidelis civis a Principe suo nequeat deficere, inferre velit, improbos aequè non posse deficere, et contra Principis voluntatem quid agere. Neque tandem illud BEKKERI argumentum firmo nititur talo: *Si anima ad corpus ordinata, et ejus gubernationi adsueta, in aliud corpus sine medio agere nequit, aut percipere, multo minus Daemon poterit*: inversio potius argumenti valet: Si anima dirigere suum et alia corpora movere potest, quidni Diabolus, ista longa potentior. V. D. KETTNERI Disp. de BEKKERO, Cel. LOESCHERI Praenot. Theol. p. 316. seqq. et BVDDI Philof. Theoret. P. VI. Cap. II. de Bekkerianismo rejecto.



## §. IV.

Ad *mediata Angelorum malorum opera* referimus ea, quae faciunt per *magos, sagas, veneficas, praestigiatos*, et quomodocunque appellantur, cujus generis homines, non tantum artibus naturalibus, sed et Diabolicis, in detrimentum hominis abutentes, *pacto cum Daemone malo* inito, mira certe praestant effecta, docentibus IO. WERGERO, in *Diff. de Magia naturali et Daemoniaca*, et LAUR. BYGGES, in *Diff. de Magia Daemoniaca, sive illicita*. Equidem POMFONATIVS, c. I. REGINALDVS SCOTVS, in *Confut. Magiae*, PEIRESCIVS, GASSENDVS, in *vita illius*, p. 87. G. NAVDAEVS, de *artibus Politicis*, p. 203. A. DALENIUS *Diff. IV. de origine idolol.* BEKKERVS, c. I. Lib. III. c. I. HONTANA, c. I. THOMASIVS, c. I. REICHIVS, in ejus *Apologia*, I. C. KVLTVS, in *Omiologia*, c. I. §. 4. WESTPHALVS, c. I. FRANC. HVTCHINSON in *Historischen Versuch von der Heyerey* aliisque, ejusmodi *pactum sagarum et magorum cum Diabolo explicitum* negantes, horum fascinationes et incantationes vel phantasiae admodum validae, vel viribus herbarum occultis, vel aliis fraudibus ignotis, assignant. Enimvero, licet haud negetur, dari quoque *Magiam naturalem*, de qua ANDR. HELVIGIVS, in *pec. Diff. minime tamen omnis Daemoniaca*, ob stupendos et homini sibi relicto praestitu non possibiles effectus, statim est



est removenda *Magia*. *Pactum* etiam cum *Daemone* praestigiatores inire posse, vel exinde colligi potest, quod utrique intellectu et voluntate gaudeant, adeoque in certum placitum consentire possint, licet in applicatione talis initi *pacti* caute sit procedendum.

## §. V.

Quanta vero sint *Angelorum malorum* opera, non tamen *supernaturalia* et *contranaturalia*, quae sunt solius virtutis infinitae, peragere possunt, qualia sunt, *creare, efficere miracula, mutare species corporum*, ut ex homine fiat bos, vel asina, *mortuos excitare, ex concubitu cum hominibus, vel per incubum, vel per succubum, veram prolem generare*, (V. Io. VVOLFII Diff. num *Daemon cum sagis generare possit*,) et id genus alia, quae, utut passim in relationibus historicis *Daemonibus* tribuuntur, esse tamen falsa et supposititia, vel quivis ex natura finitorum *spirituum* perspicit. *Mira* et insolita illi quidem efficere possunt, atque plura et extantiora, quam homo, minime autem naturam ipsorum excedentia. V. HENR. NICOLAI, Tr. de *actionibus Magicis*.

## §. VI.

Num denique *Angeli mali* per *figuras* et certos characteres, ara extracta candelisque accensis, moveri et *excitari* possint, ut hominum



S. II. C. III. DE ACTION. ET OPERAT. ANGEL. 93

num voluntati se subjiciant, et thesauros in-  
primis absconditos manifestent, possibile ju-  
dicatur, non quasi *accessus Daemoniacus* sit ci-  
tationis humanae et magicae effectus, sed *Dae-  
mones* potius *sua sponte* veniant, ad homines  
improbos in sua superstitione corroborandos.  
Contra *magorum* et *veneficarum itinera in  
montem Bructerorum*, colendi *Daemonis* caus-  
sa, sub hirci forma, quae, media nocte insti-  
tuta, et in confessu plurium *magorum* cum splen-  
dore in orbem circa hircum et splendi-  
do convivio conjuncta, passim memorantur,  
magis corruptae, veneficorum phantasiae, et  
figmentis atque somniis fabulatorum, annume-  
rantur. V. AD. ERD. MIRI Diss. de *conventu  
Sagarum ad sua sabbatha*, et IO. CLERICVS,  
*Pneumatol. Sect. II. C. 5. p. 84. seqq.*

SECTIO III.

DE

Ψυχολογία

SIVE DE

ANIMA HVMANA

CAPVT I.

DE

EXISTENTIA ANIMAE.

The-



## Thesis I.

**D**ARI ANIMAM, five *mentem humanam*, a corpore distinctam, cum eodem tamen conjunctam, quivis homo in seipso deprehendit.

## ΕΝΔΕΞΙΣ.

## §. I.

Aliae certe sunt *corporis proprietates*, utpote extensio, divisibilitas, soliditas, et textura per varias partes, juxta externam figuram: aliae sunt *animae*, ut intellectio, volitio, sentiendi facultas, libertas etc. quas inter se vel maxime diversas, in homine tamen intime conjunctas, quilibet se paullulum respiciens persentiscit, utut modum illius conjunctionis nullo modo rimari possit.

## §. II.

ANIMAE autem vox hic non sumitur pro *anima mundi*, quam olim *Platonici*, *Stoici* et nonnulli *Peripatetici*, cum quibusdam recentioribus *Pseudo-Philosophis*, *PARACELSO*, *HELMONTIO*, *FLVDDIO*, aliisque, Deo frivole associarunt, et *Spiritum universalem*, *Archaeum*, *Numen Cosmicum*, *principium-hylarchicum*, calidum, omniscium, et sic porro, appellarunt.



larunt: (V. Cel. LOESCHERI *Praenot. Theol.* p. 134.) nec pro *anima brutorum sensitiva*, quam Cl. WOLFFIUS, c. l. §. 824. minus sobrie, gradu tantum ab humana differre, et incorruptibilem §. 921. esse, confirmat: nec pro *anima plantarum vegetativa*, quae vocis *animae* acceptiones sunt abusivae, (V. CHR. MART. BURCHARDI *Diff. de anima plantarum et brutorum.*) sed pro *humana*, a subiecto, cui inest, dicta, et quidem *rationali*, quia hac mediante ratio se exerit, non aequè secundum *esse respectivum*, prout in *Physicis*, sub ratione partis hominis, et ratione officii, consideratur, magis secundum *esse absolutum*, prout gaudet spiritali essentia, abstrahendo a *statu unionis et separationis*. V. MART. GOTH. LOESCHERI *Diff. Animam, creatis rebus aliis falso et vere adscriptam, homini eminenter competere.*

## §. III.

Atque hoc sensu accepta ANIMA alias vocatur *mens*, quia eminent et meminit, *animus*, quia vult, *spiritus*, ab essentia, quam possidet, in oppositione ad corpus, *ratio*, quia iudicat et ratiocinatur, et sic porro, pro diversitate operationum. Quodsi vero *anima* in statu separationis spectatur, tunc Ethnici scriptores, diverso respectu, distinctis eam nominibus insigniunt. *Animae enim hominum proborum* dicebantur *Genii, Lares*, quos excipiebant



bant hospitio, suisque domibus praeficiebant: *animae* autem *hominum flagitiosorum* ipsis vocabantur *Larvæ* atque *Lemures*, quos excludabant domibus suis: *animae* tandem hominum, de quibus non adeo constabat, utrum bene, an male, sint mortui, dicebantur illis *Manes*. V. LILII GYRALDI *Syntag. de Diis gentilium*, ubi ex APVLEIO testimonia afferuntur.

## §. IV.

Studio autem atque industria omni *animam* atque *mentem*, tanquam Synonyma, pro *una hominis parte*, cui altera, nempe *corpus*, opponitur, in thesi posuimus, eo quod nulla diversitas essentialis adhuc inter utrumque, ex sana etiam ratione, conspici potest. Quodsi enim olim *Cabbalistsæ*, *Platonici*, *Pythagoræi*, hodie *Paracelsistsæ*, aliique *Pseudo-Pnevmatici*, cum BERN. CONNOR, c. l. per *animam*, sive *spiritum*, *menti* contradistinctum, intelligunt *materialem partem*, in sanguine et spiritibus animalibus consistentem, pertinebit illa ad *corpus*: si vero denotant per eandem *immaterialem partem*, erit ipsa anima: si tandem aliquod *principium*, quod sit *sidereæ* aut alius *naturæ*, gaudens facultate dirigendi motus corporeos, pro conservando indiuiduo, omnibus rebus creatis, speciatim homini et brutis, commune, in quo insimul percipiendi, immo appe-



appetendi et averfandi, funto facultates, tunc abripiunt alia, quae funt *mentis*, alia, quae funt *corporis*, nec firmis rationibus discrimen inter *animam*, five *spiritum*, et *mentem* commonftrant *essentiale*. Quale vero *Pietaftri* cum veteribus *Fanaticis* inter *πνεύμα* et *ψυχήν*, ex facro codice, demonftrare conatur, id tantum eft *accidentale*, in diverfis hominis *regeniti* et *irregeniti qualitatibus* confiftens, prout Theologi noftri prolixius docent. Conf. SAM. CHRIST. TEVBERI *moderatum iudicium de Quaef. An dentur tres hominis partes effentiales*.

## Thesis II.

**H**AEC ANIMA eft *una* in homine,  
non *multiplex*.

ΕΝΔΕΙΞΙΣ.

§. I.

Equidem multi veterum Philofophorum, ut AVERRÖES, IANDANVS, Scotus, ZABARELLA, lib. de *facult. animae*, ADRIANVS HEEREBORD, *Disp. de homine, Vol. I. Th. 5.* HORNEIVS, *Disp. Phyf. XI. th. 7.* HORSTIVS, de *nat. hum. lib. 2. Exerc. 2.* IO. CHRISTOPH. HUNDESHAGENIVS, *Tr. de pluralitate animarum in homine realiter diftinctarum*, et complures, tres homini tribuunt

G

fecun-



secundum substantiam *distinctas animas*, videlicet *sentientem, vegetantem et rationalem*. Enim vero huic sententiae paradoxae iam dudum se opposuerunt, in nostra praesertim Academia, IO. CASP. SCHVLIN, in Diss. de *unitate animae*, GERH. WICHMANNVS, in Diss. de *unitate et identitate animae, realiter et secundum substantiam in homine unius ejusdemque*, SIM. FRID. FRENZELIVS, in Dissert. aliquot de *unitate animae, pluralitati animarum in homine opposita*, et alii, qui iisdem evidenter demonstrarunt, quod, si plures essent *animae* in uno homine, *realiter distinctae*, planta fuisset, antequam brutum, brutum, antequam homo, et in ipsa morte ex uno homine tres migrarent *animae*, aut duae inferiores mortales perirent. Cum certe antiqui Philosophi in uno homine *animae diversas facultates* observarunt, utpote *sentendi, vegetandi, et intelligendi*. praecipitanter inde nonnulli distinctas in substantia excogitarunt *animas*.

## S. II.

*Unica* potius in uno homine tantum vindicatur *anima*, quae ratione sui, et corporis, per quod agit, diversis gaudet *facultatibus*, superioribus et inferioribus, quae, numero et ordine, juxta diversos Philosophos, mire variant, de quibus infra.

The



## Thesis III.

**O**riGO ANIMAE HUMANAE primi hominis est a Deo, indiuiduorum posterorum, per *traducem*, a parentibus.

ΕΝΔΕΞΙΣ.

## §. I.

Nemo dubitat de eo, *animam primi hominis* a Deo, omnium rerum autore, esse productam, quo magis id Dei independentia et mentis dependentia requirunt: qualis vero *posterorum indiuiduorum sit origo animae*, de illa magna sunt sententiarum inter Philosophos diuortia. Ad duas tamen classes principales omnes de *origine animae* sententiae poterunt referri, quarum una illam ab ipso Deo, altera a *parentibus*, diverso rursus respectu, derivat.

## §. II.

Qui immediate a Deo *originem animae* deducunt, duplici eandem modo demonstrant, alii per *emanationem* ex Deo, alii per *creationem* a Deo. Illi, qui *animam* pro ef-

G 2

fen-



sententiae divinae particula, vivique et essentialis luminis scintillula, habent, quod olim *Platonici, Stoici*, hodie POIRETVS, I. C. WESTPHALVS, c. l. p. 68. SEB. WIRDIGIVS, in *Medicina spirituum*, et alii *Fanatici*, statuunt, non possunt non sententiae per emanationem adhaerere, ut cum Deo anima sit unius naturae et essentiae, ac, vi consequentiarum absonarum, omnipotens, omniscia, et sic porro. Qui vero, per creationem a Deo animam oriiri, contendunt, in duas denuo abeunt sententias, quarum alia creationem intelligit, eo tempore factam, quo omnia sunt condita, alia tum demum, si infans a parentibus gignitur. Prior sententia stabilit *πρόπρωξιν*, sive praeexistentiam animarum, a cujus stant partibus Iudaei, multi Patrum, CHRISTO. SANDIVS, ARTOPAEVS, in *Diss. de existentia animarum*, EDMVNDVS DICKINSONVS, in *Physic. veteri et vera*, c. XI. §. 17. et plures, non sine difficultatibus magni momenti. Quae enim potest, quo Deus animas, initio mundi statim creatas, reposuerit, antequam corpus destinatum ingrediuntur, et cur Deus innocuas mentes in corpora tot malis obnoxia, et quando eas in haec dimittat. Posterior sententia, qua, tum animam a Deo creari, asseritur, si homo nascitur, est plurimum *Scholasticorum*, et omnium ferme *Pontificiorum*, LOMBARDI, L. 2. *Sent. Diss. 17.* SVAREZII, de *operibus sexti diei*, L. 3. post DAN. STAHLII, PAVLE SLE-



S. III. C. I. DE EXISTENTIA ANIMAE. 101

SLEVOGTI, CHRIST. DREIERI, MICH. ZEIDLERI, et aliorum *Creatianorum*, uti vulgo dicuntur. Sed eadem sententia per *inducem* perfectioni Dei est contraria, quippe qui, quod semel creavit, in sua specie perfecte produxit, et a creatione immediata quievit, ne moneamus, rursus quaeri posse, quo tempore Deus dimitteret *animam* in corpus, utrum ante, an post ejus formationem. V. CONSTANT. ZIEGRA, in *Diff. de origine animae humanae, oppos. propugnatoribus creationis*, IAC. THOMASIVS, in *Orat. errori de praesistentia animarum opposita*, IO. DEYTSCHMANNVS, in *Diff. de ortu animae ration, opp. Andr. Heerebord*, IO. MAIOR, I. C. SCHVLIN, CHR. FR. HAFERVNG, SEB. EDZARDI, in *Dissert. de origine animae*, et GEORG. FRID SCHROEERVS, in *Diff. de mente hominum divina*.

§. III.

Alteram quod attinet classem, haec complectitur illos, qui, *animam a parentibus per traducem* propagari, defendunt. Horum autem non una eademque mens est, quippe alii, *animas tantum virtualiter* in parentibus esse, alii, illas *actu jam ipso* in his existere, arbitrantur. In *priorem* descendunt sententiam ex veteribus *Epicurei*, ex falso tamen principio, quod *animam* putant esse *materialem*, quae per *traducem*, ex semine et materia



corporea parentum, sicut corpus, propagantur. Magis sobrie hanc sententiam, de *propagatione animae per parentes virtuali*, statuminarunt in nostra Academia DAN. SENNERTVS, in peculiari Tractatu, et IO. SPERLINGIVS, in Diss. de *Traduce*, IO. FREITAGH et IO. ZEISOLDI exceptionibus soliderespondentes: hodie adstipulantur eidem sententiae Magnif. CHRIST. VATERVS, in *Physiol. experim.* MART. GOTTH. LOESCHERVS, in *Physica experim.* et Lipsiae ANDR. RÜDIGERVS, in *Physica divina* *Posteriorem* sententiam, qua, animas jam actu, ut vera entia, in parentibus esse, et facta generatione ab illis propagari, statuitur, diverso modo nonnulli defendunt. Anonymus quidam apud SANDIVM, de *origine animae*, p. 167. animas in parentibus jam *praeexistere*, affirmat: vicissim G. G. LIBENTZIVS, in *Theodicea*, §. 91. *περὸν τὰ ζῷα ἀνιμαρῶν* in semine parentum dari, concedit, non aeque rationalium, sed tantum *sensitivorum*, percipiendi et sentiendi facultate gaudentium, quippe, has tempore generationis, modo incognito, evadere in rationalem, sibi mire concipit. Pariter IO. ANDR. PLANERVS, in Diss. de *animae humanae propagatione*, in hac versatur opinione, esse cum stamina corporum, tum animas totius generis humani, a Deo in Protoplastis conditas, formam foetus cuiusvis, perinde ut materiam, esse ideo in parentibus jam actu ante generationem, sed de-



deesse adhuc unionem: hinc ante generatio-  
nem non esse hominem, quippe qui demum  
oriatur partibus debito modo inter se unitis,  
qua sententia adductus fuit, supplicia capita-  
lia proscribere, ne impediretur proventus pa-  
rentum. V. Io. HERM. ab ELSVVICH recent.  
*de anima controversias.*

## §. IV.

Vtut igitur in tanta opinionum, de ani-  
mae origine, diversitate haud pauci cum AF-  
FELMANNO, P. I. *Syntagm. Diss. XV.* judici-  
um suum de eadem suspendere, et satius du-  
cere malint, scire, se habere *animam*, etiamsi  
*originem* illius ignorent, nihilo minus tamen  
sententia de *origine animae* per *traducem*, cum  
plurimis nostratum, judicatur esse optima,  
qua asseritur, *animam* ipsam, quae virtute fe-  
augendi ingenita est praedita, in ipso gene-  
randi actu, positis omnibus ad generandum  
requisitis, vi benedictionis divinae, ejusdem,  
cujus ipsa est, essentiae substantiam, modo  
rationi etiam non satis cognito, producere.

## CAP. II.

## DE

## ESSENTIA ANIMAE.



## Thesis I.

**A**NIMA non est *substantia corporea*, neque purum aliquod *accidens*.

En. Deotic.

## §. I.

Vtut non negetur, difficillimam omnium esse inquisitionem *animae essentiam*, id tamen quivis in se deprehendet, hanc non esse *corpoream*, sed corpori vel maxime oppositam. Quoties enim anima agit in nobis, corpore dormiente, aut quiescente, aut hoc morbo et senectute laborante, manet eadem, et se magis exhibet in operando: certe toties *anima* corporis nisi et actionibus est contraria, ut illa his non respondeat, quod non foret, si esset *corporeae substantiae anima*. Ne moneatur, *objecta*, quae cognoscit, esse saepius *immaterialia*, in quorum abstractione mens versatur.

## §. II.

Frivole igitur, et contra propriam experientiam, *substantiam corpoream* tribuunt *animae*



*mae* multi veterum et recentiorum Philosophorum, quippe, *sanguinem humore admixtum esse animam*, putarunt CRITIAS, EMPEDOCLES, et pro *calido innato* eandem habent CAES. CREMONINVS, Lib. de *calido innato*, p. 30. Ex *igneis porro atomis constare animam*, fabulati sunt *Stoici*, DEMOCRITVS, IS. VOSSIVS, MAVR. HOFFMANNVS, in *Theatr. Anatom.* et complures: ex *aëre* ANAXIMENES, et senior HELMONTIVS, ac C. THOMASIVS, in *tent. de natura Spiritus*, p. 134. ex *aqua* HIPPOCRATES, et HELMONTIVS junior: ex *aethere purissimo* olim ESSAEI: ex *coelesti stellarum materia* HERACLITVS, et CICERO, in *somnio Scip.* c. 3: ex *elementis variis simul* ALEXANDER APHRODISAEVS et *Epicurei*. BEN. SPINOZA item pro *subtilissima corporis nostri portione animam* habet, nec aliter sibi hanc concipiunt BERNH. CONNOR, c. 1. et STOSCHIVS, in *concord. rat. et fidei*, p. 11. 72. sq. quando posterior per *animam* intelligit *cerebrum*, ejusque subtiliora organa, cum affluxu et circulatione materiae subtilis, adeoque *animam hominis* gradu tantum a brutorum animabus distinguit. V. IO. HERM. VON ELSWICH, Diff. cit. Venerab. D. LOESCHERI *Praenot. Theol.* p. 99. seqq. et IO. MELCH. VERDRIES, Tr. de *aequilibrio mentis et corporis*.



## §. III.

Nec *anima* est *merum* aliquid ac inane *vocabulum*, ut opinati sunt ARISTOXENVS, DICARCHVS, PHERECRATES, alique, quos suo tempore jam refutarunt CICERO, LACTANTIUS et MARSILIUS FIGINUS: nec eadem in homine est aliquid tantum *accidens*, five aptitudo omnium membrorum corporis nostri, praesertim fibrarum cerebri, ita, ut *anima* non realiter, sed *formaliter* tantum, a *corpore* sit distincta, et cum corpore aliquando intereat, in qua versati sunt sententia olim *Platonici*, hodie HOBBIUS, in *Leviathan*, cap. 34. GVIL. COVARDUS, et ANONYMUS, in zweyer guten Freundschaft vertrautem Brieffwechsel vom Wesen der Seele A. 1713. p. 32. Cum enim *anima* praesertim actionibus praestantissimis est praedita intellectionis et volitionis, actiones autem sunt suppositorum, non potest non illarum dari *substantiale principium*, prout etiam *status animae separatae* satis clare substantiam illius commonstrat. *Cartesiani* autem peccant, quando *animam* in hypothesi pariter dicunt *substantiam cogitantem*, quippe *cogitatio* est adjunctum *animae*, non essentia ejusdem.

## §. IV.

Quod attinet ad definitionem *animae*, quam  
sup-



suppeditat Cl. WOLFFIUS, c. l. §. 192. et in *Be-*  
*dencken*, p. 84. *sqq.* et ita fluit, quod anima sit  
*substantia universi repraesentativa, pro ratione*  
*corporis organici, et ejus universo situ*, haec  
 est obscura, non satis adaequata, et gradu tan-  
 tum *perfectionis animam* hominis a Deo di-  
 scernit.

## Thesis II.

**A**NIMA est *Spiritus finitus incom-*  
*pletus.*

Εἰςθεσις.

### §. I.

ANIMAM esse *Spiritum*, cognoscimus ex ejus  
*immaterialitate*, quae est formalis *Spiritus* ra-  
 tio, atque illa probatur ex actionibus illius  
 internis immaterialibus, *intellectione* et *volitio-*  
*ne*. Prior pro *objecto* saepius habet *rem in-*  
*corpoream*, ut Deum, Angelos, ab imaginatio-  
 ne se distinguit abstrahendo, et se ipsam re-  
 flectendo; posterior pariter appetit, aut aver-  
 satur *objectum spirituale* et *immateriale*, et li-  
 bere vult, quod propter mechanismum non  
 est rei corporeae. Ne urgeatur *hominis prae-*  
*stantia* prae bruto, cum quo simul exspiraret  
 ille



ipso modo eodem, nisi in homine esset aliquid  
*spiritualis naturae* praebruto.

## §. II.

Equidem multi veterum et recentiorum  
Philosophorum *immaterialitati animae* argu-  
menta in contrarium opponere conantur,  
quae tamen hujus sunt valoris, ut facile sol-  
vi queant. Quod si enim argumentantur:

- 1) *Quicquid augetur et crescit, illud est ma-  
teriale, A. anima, etc. E. R. Quicquid per  
motum corporis et partes extra partes  
crescit, illud est materiale. sic, limitata ma-  
jore, negatur minor.*
- 2) *Cujuscunque operationes sunt materiales,  
id ipsum est materiale. A. conceptus ani-  
mae sunt materiales, E. Resp. Cujuscun-  
que rei conceptus in se spectari sunt mate-  
riales, ea ipsa est materialis, A. animae  
etc. E. sic rursus negatur minor. Exci-  
piunt, anima tamen nequit concipere  
spiritualia de spiritu, nempe Deo, Ange-  
lo et seipsa. Respondetur, licet non  
sensitive, tamen abstractivè et mentali-  
ter.*
- 3) *Quicquid potest mutari et alterari, illud  
est materiatum, A. anima, e. g. in ebrio,  
irato,*



irato, etc. E. Respondetur, *anima* in corpore per corpus agit, adeoque turbantur operationes organicae, non ipsa *anima*.

§. III.

ANIMAM porro esse *dependentem*, sive *finitum spiritum*, non difficile est probatu quo certius est, Deum solum esse *independentem*, a quo omne, quicquid est creatum, inter quae *anima*, tanquam nobilissima Dei creatura, refertur, dependet.

§. IV.

Esse *animam* item *spiritum incompletum*, patet ex conjunctione, sive propensione *animae* ad corpus, a qua *spiritus purus*, sive *angelus*, est liber, unde *completus* dici solet.

CAP. III.

DE

AFFECTIONIBVS ANIMAE.

Thesis I.

*Affectiones ANIMAE sunt vel communes, vel propriae.*

En 91-



## ΕΥΘΕΙΣ.

## §. I.

*Communes affectiones* sunt illae, quae ANIMAE, sicut Deo et Angelis, certo tribuuntur respectu, uti *simplicitas, invisibilitas, immutabilitas*, atque *immortalitas*, sive *perennitas*, aut *aeviternitas*, et quae sunt aliae.

## §. II.

